

I. N. D. N. J. C. E. 21. num. 294

DISSERTATIO JURIDICA

De

CONSENSU

PARENTUM AD NU-
PTIAS LIBERORUM

Quam

CONSENSU CELEBERRIMÆ
FACULTATIS JURIDICÆ

SUB PRÆSIDIO

THEODORI PAULI, U.J.D.

& Professoris Primarii, Ser. Elect.

Brandenb. Consilarii, & Judicii Aul. Crim.

Præsidis, Acad. h. t. Rectoris Magnifici,

Placide Eruditorum Ventilationi

exponit

JOHANN. GEORGIUS Sauginger/

Gedanensis,

IN AUDITORIO MAJORI

Anno M DC XCIX. die 15. Septemb.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SEREN. ELECT. BRAND.

ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.



P. 386

1699, 2
21

V I R O
PERMAGNIFICO GENEROSO ac STRENUO
DN. JOHANNI ERNESTO
SCHMIEDEN,

Civitatis Gedanensis Præ - Consuli Splendidissimo

Nec non

V I R I S

MAGNIFICIS ac GENEROSIS

DN. CONSTANTINO FREDER,
DN. SALOMONI WAHL,

Ejusdem Civitatis Consulibus Gravissimis,

Ut &

SPECTATISSIMO atque HONORATISSIMO

DN. HENRICO SCHRADER,

Quartarum Magistro meritissimo, Cognato suo
maximè colendo,

DNN. PATRONIS atq; FAUTORIBUS
ÆTERNUM COLENDIS,

Hanc Dissertationem Juridicam com voto pe-
rennis prosperitatis in Studiorum suo-
rum commendationem eo, quo par est,
animi cultu & obsequio consecrat

JOHANNES GEORGIUS Lauginger.



DE necessitate consensus Parentum ad Nuptias liberorum, non ignobilis est quæstio. Quam hac vice, b. c. D. pertractaturi, primo dispicimus, quid *Jure Romano*, quid *Naturali*, deinde *divino*, *Canonico*, & denique *Statutario*, vel *Praxi* ea de re sit definitum, & receptum? *Justiniani Imperatoris* sententia, in jure passim, præprimis in *Pr. Inst. de Nupt.* extat, ubi: *justas* (ait) *Nuptias inter se Cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum cœunt, Masculi puberes, femina vero viri potentes, sive Patres familias sint, sive filii, dum tamen, si filii sint familias consensum habeant Parentum, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere, & Civilis & Naturalis ratio svadet.* Unde quæritur.

Quæst. I. In quo consistat illa ratio Civilis?

R. In *Patriâ potestate & jure sui heredis*, id est ne Patri invito heres adnascatur per §. 7. *Instit. de Adopt.* Cum enim bona paterna jure naturali ad liberos devolvantur, & inde ad nepotes per l. 7. *ff. de bon. damnat.* idè valdè incivile & iniquum foret, si Filio ex eâ cognatione, seu familiâ, quæ Parenti meritò, vel propter turpes mores, vel inimicitiam est exosa, uxorem ducere, atque sic bona, magnò sæpius labore parta, in inimicos Parentis transferre liceret. Et hæc etiam ratio effecit, ut antiquitus non dubitatum fuerit: an filia, sed an Filius furiosi posset nubere? Filius namque uxorem ducit in domum Patris, eique liberos gignit, aliquando suos heredes futuros Avo Paterno. Filia verò extra familiam Patris nubens, non Patri, sed marito liberos parit, vel ei, cujus in potestate maritus est. Placuit tamen, ut & Filius furiosi ad exemplum Filia, absque Patris interventu nuberet: ut in dicto *Pr.* dicitur, secundum tamen datum ex constitutione (per quam l. 28. *C. de Episc. Aud.* & l. 25. *C. de nuptiis*, intelliguntur) modum: quippe præsentibus Curatore & propinquis, item Autoritate Magistratûs vel Episcopi, filius nuptias contrahere poterat.

A

Quæst.

Quæst. II. Suntne tamen Nuptiæ absque Paren-
tum Consensu inita, jure Civili penitus
nullæ?

ꝛ. Ipso jure nullas vel irritas esse, verius est. Quod satis clarè probatur ex §. 12. *instit. de Nupt.* item *L. 11. ff. de stat. Hom.* quibus addi possunt *L. 2. §. 18. ff. de Rit. Nupt. l. 12. §. 3. ff. de Capt. Et postlim. reversis*, Alii distinguunt casum, quò Pater scit, nuptias esse contractas, iisque contradicit; à casu, quò eas contractas esse, saltem ignorat. Priori dicunt statim esse nullas; posteriori vero pendere, donec de voluntate ejus constet. vide *Ungepaur Exercit. 3. Qu. 7. in Ajo in fine.* Sed de hoc mox dicemus ad materiam de Ratihabitione.

Quæst. III. Quid Antonio Guiberto Castano respon-
dendum, qui *Quæst. Jur. lib. 1. c. 12.* Nuptias fi-
liorum familias absque consensu Parentum
initas, non tantum non ipso jure Civili nul-
las esse, sed ne quidem à Parentibus irritari
posse statuit?

ꝛ. Rationes ejus hæc sunt, (1) In his (inquit n. 14.) quæ juris publici sunt, patria potestas non consideratur; nam filius familias publicas functiones capessere, & sine Patris autoritate Magistratu fungi potest, *L. nam quod 14. in pr. ff. ad Jctum Trebell. L. filius familias 9. ff. de his qui sui vel alieni juris sunt*, ubi Jctus: *Filius (ait) familias in publicis causis loco Patris familias habetur, veluti, si Magistratum gerat vel tutor detur*: sed nuptiæ sunt juris publici, per *L. 1. ff. soluto matrim.* igitur in nuptiis, quod vim, momentum & substantiam Earum attinet, patria potestas non consideratur. (2) Definitiones omnia evolvere debent, quæ sub nomine definito continentur. At definitio nuptiarum seu matrimonii §. 1. *Inst. de Patr. Potest. §. l. 1. ff. de Ritu Nupt.* Consensus paterni non meminit: igitur in Nuptiis Consensus Patris non est necessarius. (3) Si filius incscio Patre rectè & efficaciter, se DEO mancipat, vel in cœnôbium succedit *l. Deo nobis 56. §. 1. (de Episcopis & Clericis*, profectò ambigendum non est, quin rectè etiam atque efficaciter incscio Patre uxorem ducat: quia hæc in multis juris Articulis comparantur. (4) *Ulpianus* scribit in *l. 1. §. 5. ff. de liberis exhibendis: Si quis filiam suam, quæ mihi*
nupta

nupta sit, velit abducere, vel exhiberi sibi desideret, an adversus interdictum exceptio danda sit, si forte Pater concordans matrimonium, forte & liberis subnixum, velit dissolvere? Et certè hoc jure utimur, ne benè concordantia matrimonia jure patrie potestatis turbentur. Idem Paulus scripsit lib. 2. Sentent. de Nuptiis, ubi: Eorum (inquit) qui in potestate Patris sunt, sine voluntate ejus matrimonia jure non contrahuntur, sed contracta non solvuntur. Contemplatio enim publicæ utilitatis privatorum commodis præfertur. Quem locum Pauli, Tribonianum longo Juris Romani digerendi opere fatigatum, per incuriam omisisse scribit Job. Covellus in Instit. Juris Anglicani lib. I. Tit. 10. §. 3. (5) Superiori sententiæ suppetias fert l. in copulandis §. C. de Nuptiis, quæ: in copulandis nuptiis (ait) nec Curatoris, nec cognatorum vel Affinium ulla Autoritas potest intervenire, sed spectanda est ejus voluntas, de cujus conjunctione tractatur. Quod ex additamento Guiberti plenius accipiendum est, ut quamvis Patrem quis habeat, idem tamen juris sit: nempe quia in nuptiis potissimum inspicimus voluntatem eorum, qui coeunt, non etiam auctoritatem voluntatemque Parentum, vel Affinium. (6) Nuptias sive matrimonium in libera potestate eorum, qui junguntur, leges situm esse voluerunt L. ult. C. de sponsalibus &c. Sed quis adeò rerum est imperitus, qui putet liberum, quod alterius consensu nem necessariò expostulat? vel eum velle, qui alterius obsequitur voluntati. (7) Si hominum supremas dispositiones æquum non est, ex alieno arbitrio pendere, per l. 32. pr. ff. de Hered. Inst. multo minus conveniens videtur in nuptiis Filiorum familias contrahendis, Parentum voluntatem expectari, & inde matrimonia pendere. (8) Patris voluntas, si eam necessariò in his actibus exigamus, maximum à nuptiis avocamentum erit. Pater namque vetulam, deformem & rugis plenam, filio ob divitias uxorem eliget; quam is ducere nullo modo velit, sicque Patris voluntas maximum nuptiarum erit impedimentum. Hactenus Anton. Guibertus. Verum ad (1) respondeo, committi fallaciam æquivocationis, vel potius Amphibolias in l. esse juris publici. Magistratus omnis propriè juris est publici, quia jus publicum juxta l. 1. §. 2. ff. de J. & J. in Magistratibus consistit. Tutela vero, licet propriè Reipublicæ munus non sit, juxta L. 6. §. 15. ff. de Excusationibus; eatenus tamen est juris publici; quatenus sicut alia, propriæ Reipubl. munera, auctoritate publicâ sive ipsius Legis, sive Magistratus alicui defertur: conf. pr. Inst. de Excusat. Tutor. L. 1. §. 4. & l. ult. §. 1. ff. de mun. & hon. item l. 9. ff. de his, qui sui vel

alieni juris sunt. Filius igitur familias in Magistratibus & Tutelis ideo pro Patre familias habetur, quia utrumque publicâ gerit autoritate. At istud planè secus est in matrimonio contrahendo. Etenim Filius familias propriò ausu ad inconsultas nuptias convolans, nullâ publicâ autoritate, neque legis, neque Magistratûs est suffultus, sed potius delinquit contra legem, Magistratusque autoritatem contemnit. Unde non potest in tali actu pro Patre familias haberi, sed potius nihil agit. Quamobrem licet juxta *L. 1. ff. soluto matrimonio* publicè intersit, ut Civitas per matrimonia liberis repleatur: matrimonia tamen ibi intelliguntur legitima; id est consensu Parentum Contracta: & aliud est publicè esse utile; aliud juris esse publici. Ad (2) respondeo (a) nuptias definiri quidem per Viri & mulieris conjunctionem. At per conjunctionem non qualiscunque, sed legitima intelligitur, quæ in liberis, in sacris Parentum constitutis, præsupponit consensum. (b) Ibidem nuptiæ in genere definiuntur. At non omnes nubentes sunt filii familias. Undè necesse non fuit, in generali nuptiarum definitione id adjicere. Ad speciem verò descendens *Imperator*, statim addit: *dum tamen, si filii familias sint &c.* Ad (3) respondeo; non valere argumentum à transitu in monasterium, ad nuptias: quia ex nuptiis Parenti invito suus heres adnascitur, quod non fit in casu, ubi filius ad sanctimoniam vitæ secedit. Quod (4) *Ulpianus in L. 1. ff. de lib. Exhib.* ait: *concordantia matrimonia jure patriæ potestatis non esse turbanda*; hoc non accipiendum de matrimoniis sine consensu Parentum contractis, sed de justis & legitimis, in quæ Parentes initiò consenserunt, postea vero patriæ potestatis obtentu, ex rancore dissolvere volunt, quod iniquum est *per l. 11. C. d. Nupt. & L. 5. C. de Repud.* Quam in rem *Cujacius ad Nov. 22.* locum *Ennii* adducit; ubi filia ita queritur: *Injuria abs te afficior indigna Pater: nam si improbum esse Cresphonsem existimaveras, cur me huic locabas nuptui? Sin probus; cur talem invitum cogis relinquere.* Adde *Cujacium in Parat. Tit. ff. de lib. Exhib.* Ad *Julii Pauli* locum respondent, istum *Sententiarum Librum* legis autoritatem non habere, nec ad decisionem causarum facere. Veterum quippe *Græcorum* fragmenta *Corpore Juris* non contenta, pro parte juris non habentur: vide *Donellum lib. 1. Com. c. XI.* adde *Alberic. Gentilem lib. 4. de Nuptiis c. 8. Joh. à Sande lib. 2. Decis Fris. Defin. 4.* Taceo, quod idem *Paulus* olim responderit; natum ignorante Avò legitimum non videri *L. 11. ff. de statu Hom.* item, quod nuptiæ non consistant, nisi consenserint, sub quorum potestate sunt contrahentes *l. 2. ff.*
de

de Rit. Nupt. quorum certè neutrum cum priori sententiâ consistit, no-
tante Eguinario *Barone Comm. ad Tit. de nupt.* In (5) Objectione vi-
tiosè procedit collectio à nuptiis liberorum, quæ sui juris sunt, ad nupti-
as illorum, qui sunt in potestate, propter suum heredem; qui non ad-
nascitur tutoribus, cognatis & Affinibus, de quorum Consensu ibi agi-
tur. (6) Argumentum ex *L. ult. C. de sponsalibus* parum roboris capit.
Etenim esto, quod matrimonia debeant esse libera; eo tamen ipso con-
sensus Parentum non excluditur. Consentire namque Parentes tantùm
debet, non cogere, vel invitos compellere: vide *Rittershus: de diff. Jur.
Civil. & Canon. pag. 16.* Consensus Parentum & liberorum non sunt
contraria, sed subordinata. In (7) Argumento iterùm dissimilitudo est
inter testamentum & nuptias. Qui Testamenti factionem habent, sibi
heredes faciunt; sed nubentes aliis, iisque invitis: quod non est commit-
tendum. Ad ultimum responsio eadem quadrat, quæ ad (6) Consen-
tire decet Patrem, non cogere, vel obtrudere filio uxorem. Imò si ali-
quando quicquam incommodi ex isthâc consensûs necessitate oritur; co-
gitandum, longè majora incommoda oritura, si liberi absque Con-
siliò Parentum, inconsultâ & coecâ libidine ad nuptias convolare pos-
sent. Iure igitur Civili Romanò consensus Parentum ad nuptias libero-
rum in potestate constitutorum est necessarius, nuptiæque illò destitutæ,
nullæ sunt & irritæ. Vid. *Borchold. de Gradibus p. 45. §. videamus
jam &c. & Alb. Gentilem lib. 4. de Nupt. c. 3.* ubi omnia *Costani* Argu-
menta ridicula appellat.

Quæst. IV. Quomodo Consensus iste interpo- nendus?

R. Quæstio hæc multiplex est (1) An tacitus sufficiat; vel an ne-
cessarius sit expressus? (2) Utrùm præcedere debeat; velut in acquirendâ
hereditate: vel an (3) satis sit, eum in gerendo negotio interponi, ut in
Tutorum autoritate; an verò (4) satis sit post negotium gestum eum
adhiberi, tanquam ratihabitionem? Ad (1) respondeo & tacitum sufficere,
per *l. 7. §. 1. ff. de sponsalibus.* Unde sufficit Patrem scire, & non contra-
dicere. Ad (2) rehero, præcedere quidem debere consensum; cum ali-
quâ tamen latitudine: nempe ut satis sit, si concurrens fuerit vel conco-
mitans. Unde *lò præcedere* in legibus ita explicandum est, ut oppo-
natur Consensui subsequenti, non autem concurrenti. (4) Altioris est in-
duginis, nempe an sufficiat ratihabitionem? Nimirum Quæstio nondum est:

an Pater teneatur præcisè ratihabere nuptias filii absque consensu suo ini-
tas? de quò mox infra, sed si volens ratihabeat, quid talis ratihabi-
bitio Jure civili operetur? Quidam putant eam trahi ad ipsum nuptia-
rum initium; perque eam omne vitium tolli, atque sic nuptias rati-
habitas, legitimas & justas censerì, ex momento, quò contractæ
sunt: sicque liberos ante ratihabitionem natos esse legitimos. Quam
sententiam inter alios progugnat *Ungepaar. Exercit. 3. Quest. 7. in*
Ajo, & ab eo allegati. Rationes has reddit: quia (1) ea jam natura sit
omnis ratihabitionis, ut ad rei initium trahatur & confirmet ea, quæ ab
initiò gesta sunt per *l. Ult. in pr. C. ad SCrum Macedonianum*. Cui ge-
minā tradit regulā Juris Canonici in *c. 10. de Reg. Jur. in 6to*. Quia alio-
quin (2) Legitimationi amplius locus non esset, cum liberi ex concu-
binatu suscepti, per subsequens matrimonium, velut ratihabitionem legiti-
meantur per *§. Ult. Inst. de Nupt.* quia (3) si ratihabitione retrò operari non
posset, Pater indè incommodum sentiret, velut cujus potestas hac ratio-
ne ita esset restricta & coarctata, ut Juri & favori suo, contra *leg. 51.*
C. de Episc. & Cler. renunciare non valeret. Etenim filius præsertim ab-
sens, potest fortuna Duce, in conditionem incidere felicissimam & hone-
stissimam, & tamen tempore excludi ad communicandum, propter peri-
culum, quod in morā est, vel propter corrivales, vel aliis ex causis. Hoc
casu, si filius contrahat absque Patris consensu, certè durum & iniquum fo-
ret, si Pater postea ratihabere non posset id, de quò impensè lætatur. De-
nique (4) in dubiis æquiora semper præferenda sunt, præsertim cum
contraria opinio, soli partui gravis sit; qui tamen est innocens, ita, ut Pa-
rentum delictò non debeat premi. Contrà alii existimant, ratihabitionem
non posse retrorahi ad ipsum nuptiarum initium, sed matrimonium
ex illò tantum tempore legitimum censerì, quò Pater illi consentit: hinc
liberos ante natos, Injustos esse & illegitimos: ita *Cujacius in Not.*
ad pr. Inst. de nupt. §. l. 3. Obs. 5. Anton. Faber in Jurispr. Papinian.
Tit. 9. Princ. 4. Illat. 10., Anton. Matthæus in Not. ad b. pr. & imprimis
Hottomannus Quest. illustr. 9. Hiprovocant. (1) ad dictum *pr.*
in quo expressè dicitur, *quod jussus Patris debeat præcedere*. At cu-
jusvis jussus ea jam natura est, ut eum omninò oporteat præcedere per *l. 25.*
§. 4 ff. de acqui: hered. vel saltem concurrere, aut actum comitari. (2) Ad-
ducunt *l. 3. §. ff. ad legè Jul. de adult.* ubi *Ulpianus* negat filiam illam jure
mariti posse adulterii accusari, cujus nuptiis Pater post adulterium ab eà
commissum, consentit; idque ideo, quia ante Patris consensum neque
uxor, neque Maritus fuit. (3) Nituntur *l. 68. ff. de jure dotium*, ubi nu-
ptiæ

ptiæ ignorante initio Patre contractæ, si Pater postea consenserit, ex eo demum tempore justæ dicuntur, quò Pater consensit. (4) Provocant ad *L. 6. C. de Nuptiis*: ubi non omnès ex matrimonio contra mandatum Principis contracto, sed tantum postea, id est postquam conjugium de novo convaluit, nati, censentur legitimi: quæ lex digitum intendit in *leg. 65. §. 1. ff. de Ritu Nupt. & l. 11. ff. de Stat. Hom.* Denique (5) Causantur, ratihabitioni in his tantum locum esse, quæ non statim ipsò jure nulla sunt, sed aliquò modò consistunt, vel pendent. At Nuptiæ filiorum familias sine Parentum consensu contractæ, ab initio statim ipsò jure nullæ sunt & irritæ. Nos hac vice in puncto Juris posteriorem sententiam, quæ etiam *Bachovii* est in *Comm. ad Pr. Inst. de Nupt.* priori præferimus, ad leges contrarias breviter sic respondentes: (1) Ratihabitionis quidem ea natura est, ut retrotrahatur per *L. ult. C. ad Serum Macedonianum*; sed cum hâc limitatione: nisi actusita comparatus sit, ut requirat ad sui subsistentiam præcedentem consensum. Sed dum expresse Consensus requiritur præcedens, hic casus à Regulâ præsumitur exceptus. (2) In legitimatione quidem consensus retrotrahitur, sed hic ratio est diversa. Concubinatus olim erat permissus per *L. 3. Stat. Tit. ff. de Concubinis*. At Matrimonium absque parentum consensu initum (ut ratione §. dictum) ab initio statim planè irritum & nullum, sicque deterioris conditionis est, quàm concubinatus. Igitur, quod ab initio statim nullum, id tractu temporis ratihabendo non potest convalescere *p. l. 210. ff. de Reg. Jur.* Et quoad ratihabitionem alia est ratio concubinatus, & alia illegitimi matrimonii: uti rectè distinguit *Cujacius ad l. 65. ff. Rit. Nupt. Tom. 3. operum posthum. ad lib. 7. Resp. Pauli*: adde *leg. 6. & 8. C. de nupt.* Huc accedit, quod legitimatio saltem posteriorum *Imperatorum* inventum sit: atque idcò mirum esse non possit, quod veteres *Juri* hâc in re olim aliter responderint: vide *Bachov. ad Trent. vol. 2. Disp. 6. th. 5. lit. c. pag. m. 280.* Neque (3) hoc Parentibus grave est vel incommodum. Etenim raritùs in ejusmodi felicissimas conditiones liberi Incidunt; Imò rarissimè tam longè absunt, ut planè nequeant communicare. Non igitur operæ pretium visum fuit, intuitu rarissimè contingentium, facilitati liberorum aliquid indulgere, qui scientes, jura nuptias clandestinas tantò odio prosequi, ut ratihabitione Parentum in totum nequeant convalescere; tantò magis ab ejusmodi conjunctionibus, plerumque noxiis, cavent & abstinent. Præterea in *L. 11. ff. de Rit. Nuptiarum* huic rarò emergenti provisum, atque statutum est: non æquè nullas esse nuptias, si
filius

filius talem duxerit, aut filia tali nupserit, cujus conditionem certum sit Pa-
 trem absentem non repudiaturum esse. Quod (4) de favore innocentis
 partus, dicebatur, ad id respondeo: illum quidem magnum, tantum ta-
 men non esse, ut publicæ utilitati, vel publico favori præferri possit. Ut
 nuptiæ sine consensu Parentum non contrahantur, publicè interest. Ut
 verò ratihabitio in partus favorem retrocurrat ad nuptiarum initium,
 privatim tantum prodest partui. Sed privatim semper cedere oportet
 publico. Præterea utut durum sit, innocentem partum parentum culpâ
 gravari; attamen quod huic rei iniqui inest, utilitate publicâ rependitur.
 Coeterum quanquam hæc ita secundum rigorem antiquæ Patriæ potesta-
 tis forte defendi possint, attamen hodie, si praxin respicias, ratihabitio
 humanitè retrotrahitur, vel operatur ex triplici ratione: (1) quia hodiè
 concubinatus præ aliâ conjunctione fornicariâ, prærogativam nullam ha-
 bet, sed æqualiter interdictus est (2) Quia aliàs hodiè legitimationi lo-
 cus amplius non esset, *Bachovius ad pr. Inst. de nupt. & ad Treut. d. L.*
 & (3) quia conjugium consummatum, ex quo liberi jam nati sunt, jure re-
 centiori non ita simpliciter vel indistinctim, ut olim, nullum est vel irri-
 tum, id quod ex sequentibus magis perspicuè apparebit. Obiter addo
Carpovium L. 2. Irpl. 41. statuere: sponsalia per ratihabitionem, non nisi
 ex tempore interpositæ ratihabitionis convalescere. Idem tamen postea
 infra Def. 60. asserit, sponsalia clandestina insciis, invitis vel reluctantis
 Parentibus contracta, si carnalis copula accesserit, non annullanda vel re-
 scindenda, sed invitis etiam Parentibus Nuptiis consummanda, & propte-
 rea liberos antea natos esse legitimos. Quorum si posterius verum est,
 inanis redditur dubitatio de priori; quia ex nudis sponsalibus non adiu-
 t liberi, de quibus quæri possit; an consensus, quoad illos retrò ope-
 retur?

**Quæst. V. In quo consistit ratio naturalis, de quâ
 Imperator in dicto Princ. loquitur?**

R. (1) In Reverentia, pietate, amore, obsequio & observantiâ, quam
 dulcissimis Parentibus debemus per *l. 2. ff. de J. d. J. l. 4. ff. de curato-
 ribus furioso dandis & l. 6. ff. de injus vocando.* (2) Quod Parentes
 optimum consilium pro liberis suscipere præsumuntur; ut ait *l. 22. ff. ad
 leg. Jul. de Adult.* Facile ergo liquet, decens & honestum, imò ipsis libe-
 ris utile esse, ut nuptiis suis contrahendis, adhibeant consensum Parentum.
 Id tamen adhuc dubium manet.

Quæst.

Quæst. VI. An matrimonium absque Parentum
consensu inirum & consummatum etiam
jure naturali irritum & nullum sit, quemad-
modum est jure civili?

34. Hoc quidam affirmant, quidam negant. Qui affirmant his
ferè argumentis utuntur: (1) Lex, ajunt, naturæ semper liberos in ditione,
id est Parentum sacris, seu arbitriò esse jussit, sicut *Plinius loquitur in Pa-
negyrico Traiani pag. m. 70. & Aristoteles docet l. 1. Polit. c. 3.* At si
liberi non sunt sui arbitrii, sed alieni, ergo nulliter agunt, si corporis sui
copiam absque Parentum præscitu aliis faciunt, sui que ipsius quasi furtiva
committunt. Unde etiam tales nuptias *κλεψυγάμους* i. e. furtivas vocat
Cujac. lib. 6. observ. 20. (2) Communicata à Parentibus vita, Patrimo-
nium, educatio, institutio, religio, aliaque beneficia innumera (quæ de sen-
tentia *Stagirite* æquivalens non admittunt) hoc flagitant, ut per-
sonas earum sacrosanctas habeamus, omnisque venerationis & honoris
cultu, ad ductum sacri *Decalogi: honora Patrem & Matrem &c.* pro-
sequamur. Jam verò nullâ in re liberorum erga Parentes venerationis illu-
strior est, ac quando in contrahendis nuptiis, quæ ad honorem & splen-
dorem totius gentis seu familiæ pertinent, consuluntur. Neque è con-
trariò majori contumeliâ affici possunt, quàm si in hoc negotiò præte-
reantur. (3) Perdurum & iniquum videtur, Parentes, qui liberorum no-
vellam familiam ope & operâ juvare, imò alere utcunque tenentur, po-
testate in consultas & insanas eorum nuptias rescindendi & irritandi de-
beant privari. Et hoc ipsum est, quod Imperator Justinianus intelligit,
quando in dicto §. dicit: *Nam hoc fieri debere, naturalis ratio spadet.*
Contra negantes, hæcenus quidem concedunt, ex his aliisque rationibus
sequi, liberos graviter peccare, imò contra propria commoda impruden-
ter agere, si Parentes, in tanti momenti negotiò præterierint: Istud autem
sequi negant, quasi tales nuptiæ ipso jure naturæ sint nullæ vel irritæ,
quod sequentibus ferè argumentis impugnant: (1) Nuptiæ negotium
sunt, quod substantiam suam & perfectionem ex pleno personarum con-
jungendarum consensu accipit. Idque iterum ideò, quia (2) perfectum
matrimonium, sive perfectas nuptias contrahunt illi liberi, qui Parentes
vel planè amplius non habent, vel furiosos, vel nulliter seu improbè con-
tradicientes, vel, qui e potestate eorum per emancipationem jam sunt di-
missi.

B

missi.



missi. Ex quò infallibilitèr sequi putant, consensum Parentum matrimonio liberorum naturaliter non esse qualitatem essentialem, quæ sine corruptione ejus abesse non possit, sed tantùm accidentalem, seu forinsecus à lege positivâ accedentem: Conf. Anton. Cont. l. 1. Lect. subsec. c. 4. Quod argumentum Bellarminus lib. 1. de Matrim. c. 19. latius ita diducit. *Ad nuptias, (inquit) contrahendas aut consensus contrahentium sufficit, aut non sufficit. Sin prius, tunc perspicuum est, parentum consensum non exigi. Sin verò posterius, tunc iterùm consensus contrahentium non sufficit; vel quia ipsis deest usus liberi arbitrii, vel maturitas consilii, vel quia ita liberi subjiciuntur Parentibus, ut jus non habeant, de statu vitæ suæ disponendi. Primum dici non potest, quia sic etiam cum Parentum consensu Conjugium non subsisteret, propter defectum voluntatis. Nec secundum, quia ad matrimonium contrahendum non exigitur Consilii maturitas, sed solùm usus liberi arbitrii, qualis alioquin requiritur, sive ad peccandum, sive bene faciendum. Alioquin enim multa conjugia hoc pretextu subverterentur. Imò sæpè accidit, ut qui Parentes adhuc habet, sic maturioris consilii, quàm multi alii, qui Parentibus, aliisque Majoribus orbatii sunt. Igitur si posteriores uxores eligere possunt sine alterius Consilio, cur non etiam priores? Sed neque tertium dici potest, quippè licet Filius Patri obedientiam & reverentiam debeat, tamen quando usum liberi arbitrii habet, liber & sui juris est, non minus, quàm Pater in his, quæ ad vitæ statum pertinent h. i. (3) Si accedens concubitus aliquando efficere potest, ut dissensus Parentum non attendatur; utique Eorum consensus liberorum nuptiis etiam non erit essentialis. Sed ipsimet dissentientes, nempe, qui consensum Parentum liberorum nuptiis alioquin substantialem faciunt, casum tamen additi concubitus excipiunt. Et hanc ob causam olim *Segestes*, velut in re perplexâ & dubia *Cæsari Tiberio* arbitrium permittebat, ut consultaret, utrum prævaleret: an quod filia rapta ex *Arminiô* concepisset, an quod ex se esset genita? apud *Tacitum* lib. I. *Annal.* 58 p. m. 20. adde *Grotium* de Jure B. & P. lib. 2. c. 5. n. 10. *Bachov.* ad *Trentl.* vol. 2. disp. 6. th. 5. lit. C. Verùm antequam sententiam meam addam, inquirere placet.*

Quæst. VII. Quid jure divinò hac in re statuendum,?

R. Quidam defendunt nuptias liberorum absque Parentum consensu contractas, jure divinò esse irritas, alii non esse quidem ipso

ipso jure planè irritas, posse tamen à Parentibus rescindi *Arnol-*
duus Vinnius ad pr. Inst. de Nupt. Nituntur autem utrique (1) præ-
 ceptò *Decalogi* de honorandis Parentibus (2) textu *Exod. 22.*
n. 17. Ubi Patris arbitrio permittitur, filiam quantumvis supra-
 tam, viro denegare. At si in Patris potestate fuit, stupratam denegare
 stupratori, ergo etiam in ejus arbitriò fuit, sine præscitu suò ductam, repe-
 tere (3) Evidens ejus rei argumentum extare videtur, *Deut. 2. v. 5.* Ubi
 Parentibus potestas datur elocandi liberos, eisque conjuges comparandi.
 Sed si potestas elocandi à Parentibus dependet; non potest arbitrium ejus
 rei esse penes liberos. Et hùc pertinent exempla liberorum qui nupturi
 facultatem à Parentibus impetraverunt: uti *Sambsonis lib. Jud. c. 14. v. 2.*
& Israelitarum adversus Benjamitas jusjurandum Judic. c. ult. v. 1. (4)
 Argumentantur ex *Num. 30.* ubi votum filix DEO inconsultis Parentibus
 promissum, ab iisdem revocari potest, ergò multò magis matrimonium?
 Alii in eà sunt sententià, quasi jure divinò nuptiæ liberorum, Parentum
 consensu destitutæ, nec penitùs nullæ sint, nec rescindi possint: idque ex-
 emplò non solùm *Esavi Genes. 26.* sed & *Jacobi* probant, qui *inseis Pa-*
rentibus duas simul uxores duxit *Gen 29. & 30.* item *Tobie*, qui planè eò fine
 dimissus non erat, ut uxorem duceret, sed ut pecuniam repeteret. Ad ra-
 tiones objectas & quidem ad *Decalogum* respondent; quod liberi, (uti
 jam dictum) peccent quidem, sed non nullitè agant. Ad dictum *Exod.*
22. regerunt, malè illationem fieri à filià stupratà ad filiam quamcunque
 aliam uxorem ductam; quia unò casu adhuc contrahendum est vinculum,
 alterò verò jam contractum, imò aliam esse quæstionem: an Pater te-
 neatur præcisè huic vel illi petenti filiam dare, & aliud: an eam, quæ jam
 ducta, possit separare, vel divellere? Verùm hæc responsio hanc habet diffi-
 cultatem, quod omnis, qui inconsultò vel contradicente Patre filiam ejus
 ducit, perinde habendus sit, ac qui stuprum cum eà committit: cum u-
 num idemque sit, non ducere vel illegitimè ducere. Ad *Deut. 7. v. 3.*
 seu potestatem elocandi, Parentibus competentem, respondent, com-
 mitti fallaciam à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter: non enim
 absolutam cogendi Parentibus potestatem, sed tantum curam conjugio-
 rum indulgeri, nempe, ut liberis non permittant se jungere gentilibus. Ad
Num. 30. regerunt, posse quidem Parentes votum Filix DEO præstitum,
 irritum facere, sed cum limitatione, si filia adhuc fuerit minorennis, seu æta-
 tate pupillari: prout patet ex *vers. ult. d. c. 30.* Sed hic non sermo tantum
 est de nuptiis minorennium, sed & adultorum. *Dn. Zieglerus ad Grotium*

lib. 2. c. 5. §. 10. non est (ait) quod ex potestate irritum faciendi votum, quod à filiò nuncupatum est, potestatem irritas quoque faciendi nuptias, quis colligere velit. Consequentiam enim ideò negaverim; quia contractus matrimonialis non purè electitiuus, ut est susceptio voti, sed naturalis quoad speciem, electitiuus autem quoad determinationem individui. Non igitur quomodo res Deo oblata, contra voluntatem Patris forma sua non erat futurum verè sacrificium, ita conjugium Filii familias contra voluntatem Patris consummatum, desinet esse verum Conjugium &c. h. i. Sed fateor me has subtilitates non satis assequi. Enim verò Parentes non rescindere cupiunt inconsulta liberorum Conjugia quatenus conjugium est naturale quid, quoad speciem; sed quatenus actus electitiuus est, quoad determinationem indigni seu incompetentis individui. Quò respectu matrimonium, ipsò fatente Zieglero, æquè electitiuum quid est, quàm nuncupatio voti.

Quæstio. VIII. Quid jus Canonicum hic definiuit?

¶ Pontificii ferè omnes Jus Canonicum sic accipiunt, quasi eò parentum Consensus tantum sit de honestate, non necessitate, provocantes eo nomine ad cap. 6. X. de Raptoribus, nec non Can. 2. Caus. 27. Q. 2. C. 13. Caus. 32. Qu. 4. Protestantes verò plerique contrarium asserunt, cum discrimine tamen inter Canones veteres & recentiores. Recentiores consensum Parentum de honestate, veteres autem de necessitate exigere, hosque illis præferendos esse statuunt, quia in Theologicis antiquissimum quodque sit verissimum: ita Wesenb. ad Tit. de Rit. Nupt. n. 3. quem sequitur Rittershus. de different. Jur. Civ. & Can. lib. 1. c. 3. p. 19. Ubi addit: Canonistas non advertere, se eò ipso, quod consensum Parentum de honestate requirunt, etiam concedere, eum esse de necessitate, quoniam in conjunctionibus honestas maximè spectetur. Sed hæc consequentia claudicat. Etenim utut omne, quod nuptiis est de necessitate, sit etiam de honestate, non tamèn omne, quod est de honestate, est etiam de necessitate. vid. Dionys. Gotofredum ad L. 25. ff. de Rit. Nupt. n. 7. Ut amici sponsam in templum comitantes, aliquò gratitudinis signò & convivio accipiantur, honestatis quidem indubiæ est, at nequaquam necessitatis. Inter Canones autem antiquos præcipuè ponunt Can. 1. Caus. 30. q. 5. Cujus verba ita habent; aliter legitimum non sit conjugium, nisi ab his, qui

qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & à quibus
 custoditur, uxor petatur, & à Parentibus & propinquieribus sponse-
 tur & legibus docetur (Ivo Carnotensis pag. 260. legit, detur) & suo
 tempore sacerdotaliter (ut mos est) cum precibus & oblationibus, à
 Sacerdote benedicatur, & à Paranympis (ut consuetudo docet) cus-
 todita & sociata, à proximis, congruo tempore petita, legibus docet-
 tur, ac solenniter accipiatur, & biduo vel triduo precibus vacent & ca-
 stitatem custodiant. Ita peracta legitima scitote esse connubia, aliter
 verò presumpta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia vel stu-
 pra, aut fornicationes potius, quam legitima conjugia esse non dubita-
 te &c. Huic textui addunt c. 3. ibidem & c. 13. Caus. 32. qu. 4. qui est ex
 Ambrosii lib. I. de Abraham c. ult. Verum ad c. 1. Caus. 30. q. 5. Bellar-
 minus lib. 1. de Matrim. c. 20. lit. b. sequentem in modum respondet:
 Decretum (ait) Evaristi, multas condiciones requirit, quarum non-
 nullae adversariis nullo modo placere possunt. Requirit enim inter
 caetera, ut uxor cum precibus & oblationibus (id est cum sacrificio
 Missae) à Sacerdote benedicatur, item ut Coniuges biduo vel triduo
 orationibus vacent, & castitatem custodiant. Quae condiciones, si
 necessariae sunt, nulla erunt inter Lutheranos legitima conjugia:
 neque enim oblationem DEO pro nuptiis offerunt, neque biduo vel
 triduo continentiam servant. Praeterea multae ex illis conditionibus
 ita sunt extrinsecae & accidentariae, ut stultum sit credere, sine illis con-
 jugium irritum esse. Haec Bellarminus, qui in eo tamen se inaniter tor-
 quet, quando Evaristum Papam vult excusare, istis solennitatibus destitu-
 ta conjugia adulteria & fornicationes appellantes. Cogimur, (inquit) dicere,
 Evaristum non voluisse significare, eas omnes condiciones esse necessa-
 rias, ita ut si una vel altera desit, irritum sit matrimonium: sed ita
 legitimum esse conjugium, si illa omnia adsint, ut e contrario, si nulla
 earum adsit, & conjugium occultè sine testibus, & sine ulla celebratio-
 ne contrahatur, legitimum haberi non possit. Sed quis non videt, hic
 ineptire Bellarminum? Non dicit Evaristus, sine ulla celebratione con-
 tractum matrimonium esse fornicationem, sed nominatim sine istis, id est,
 longâ partium enumeratione recensitis. Itaque si Protestantes errant,
 isthoc Canone necessitatem consensus Parentum asserentes, etiam Evari-
 stus Papa erravit, qui aliter, quam istis ceremoniis contracta conjugia con-
 tubernia, adulteria, fornicationes appellat, quod ipsius Bellarmini iudiciò
 stultum est & stolidum. Quamobrem verum quidem est, ex isto textu

minus rectè & solidè argumentum fieri, sed quando Pontifici id dicunt, tunc responsio illa non sine injuriâ in ipsum Pontificem Evaristum redundat, qui in recensione requisitorum legitimi conjugii justò prolixior fuit. Coeterùm Synodus Tridentina litem hanc, more Alexandrino, fulmine diremit, anathemate percutiendo docentes: Matrimonia à filiis familias sine consensu parentû contractû, irritari posse, licet Ecclesia ea semper detestata sit, ac prohibuerit. Sed his nunc præmissis tandem definiendum est.

Quæst. IX. An Nuptiæ liberorum absque Parentum consensu initæ atque consummatæ ad eorum instantiam hodiè in Foro & praxi dissolvi possint?

¶ Argumentum hoc ita comparatum non est, ut unâ Regulâ, unâ definitione comprehendi possit. Enim verò quomodo unâ Regulâ defines rem infinitis circumstantiis & vicissitudinibus obnoxiam? Sanè Parentes, de quorum consensu agitur, non sunt uniusmodi: alii consentire non possunt, ut furiosi, mente capti, longissimè absentes: alii non volunt. Qui iterùm id faciunt vel ex causâ, vel sine causâ, saltem rationabili. Liberi etiam, qui consensum Parentum adhibere debent, vel sunt majorenes, vel minorenes, in potestate, vel extra potestatem: Nuptiæ itidem vel inchoatæ sunt, vel concubitu & benedictione consummatæ: aliæ honestæ, seu rationabiles, aliæ frivolæ, inæquales, turpes, præcipitatæ, in quas alterutra pars dolò & fraudibus inducta est. Porro à Nuptiis, quas liberi sine consensu Parentum, vel ipsis insciis ineunt, multùm videntur differre, quæ contra expressum ipsorum interdictum, inque contemptum illorum contrahuntur; item quas contractas seu consummatas, ipsi contrahentes approbant, in iisdem persistere volentes, & quas poenitentâ ducti, vel utrinque, vel saltem ab unâ parte cupiunt rescindi. Certè nihil absurdus est, quàm omnes hos atque varios casus, una decisione complecti velle, cum constet circumstantias ubique jus variare. Distinctè igitur procedendum, atque inquirendum est (1) Quid juris Parentibus hodiè competat in Nuptias liberorum minorennium? Per Minorenes autem hic non intelligo impuberes: quippe impuberes constat, ne quidem cum Parentum consensu rectè nuptias contrahere; quia Nuptiæ juxta definitionem sunt *Masculorum puberum & feminarum viripotentum*. Præterea inter Impuberes & minores discrimen jure Civili satis evidens est. ff. de Minor.

Minor. ut quilibet facillè videat, nos per *Minores* hic eos intelligere; qui ad annos discretionis, seu maturitatis nondum pervenerunt, quique ideò rerum suarum arbitrium nondum habent; id est, qui validè nondum contrahunt, qui quoties in contractibus, ætatis lubricò lapsi vel læsi sunt, aut nullitatis præsidio juvantur, vel in integrum restituantur. Illa ætas *jure Romano* durat ad 25. annum completum in maribus, quia fæminæ, quoad negotia & contractus, vix unquam plenè fiunt *Majorenes*, sed ob imbecillitatem sexûs, sub perpetuâ sunt curâ. *Jure autem Statutariò* alibi, quis anno 20. alibi 21. alibi aliter habetur *majorenis*; quod fusiùs diducere, non est hujus loci. Istud saltem præterire non possum, quod licet *jure Prutenico* annus 21. alioquin *majorenes* faciat, ita ut hac ætate tutelâ vel curâ exeant, *Lib. 2. Tit. 6. a. 8. §. 1.* item, ut ipsimet *Tutores* esse possint, *Art. 4. §. 6.* ibid: ubi *minorenes*, die *Unmündige* disertè opponuntur *Majoribus* viginti & uno annis; *Lib. tamen. 1. Tit. 53.* Eidem rursus dicuntur *Unmündige* verbis: *Daß dem Unmündigen nach Erfüllung der 21. Jahr/ noch 4. Jahre bleiben / biß er 25. Jahr gånzlich compliret.* Id quod apparentur, non solum contra §. *Wenn aber/ ubi ætas viginti & unius anni, vocatur das vollkommene Alter / §. 1. a. 8. Tit. 6. lib. 2.* sed & contra §. 1. *Art. 4. Tit. 34. lib. 1.* ubi restitutio in integrum *Majoribus* viginti & unò annis videtur denegari. Interea, quod *Nuptias* *Minorenium* attinet, quia leges curam habuère, ne in aliis negotiis circumveniantur, omninò credibile est, eas id, quoque enixè cupere, ut in nuptiis, veluti maximi momenti negotiò, indemnes serventur, præprimis cum nullâ in re *majoribus* insidiis sint expositi, quàm in conjugio, in quod non solum cœcò ætatis, primorumque affectuum impetu, sed variis fraudibus & illecebris; sæpius non tam ruunt, quàm pertrahuntur. Credo autem omnes difficultates, quæ hodiè hanc rem intricatam reddunt, ex dissensu *Pontificiorum* & *Evangelicorum* enatas esse, quia Hi (ut alibi dictum,) *matrimonia* contrariis, vel diversissimis Principiis metiuntur. De *Pontificiis* mirum non est, Eos nec *sponsalia* perfecta, nec *Nuptias* *Liberorum*, absque Parentum consensu initas, rescindere. Notum namque est, quod conjugia *liberorum* clandestina non solum inter vera *matrimonia*, sed & *Sacramenta* ponant: *Bellarmin. lib. 1. Matrim. c. 20.* quodque insuper *Politici* ex causis moveantur, quibus tota de nuptiis materia apud illos scatet. Præterdunt equidem, quasi conjugium talis conjunctio sit, ut non detur ullum *societatis* humanæ vinculum, quod magis constringat, quodque ideò patriam pote-

statem

statem huic vinculo ipso jure cedere deceat, ut loquuntur *Autores* sic dicti
Interim cap. 21. ap. Goldast. Tom. 1. Const. Imp. pag. m. 529. Sed præ-
textus ille fictus & vanus est. Merentur potius hic notari, quæ *Petrus Heigius*
in Comment. ad pr. Instit. de Nupt. n. 19. hanc in rem prudenter scribit:
Mibi, (ait) semper verisimile visum est, neque Tridentinum Concilium
à jure Civili discessurum, nec sententia contraria defensores ullos fu-
turos apud Pontificios fuisse, nisi illam opinionem & doctrinam ido-
lomania utilem & fructuosam agnoscerent, indè adeò pro ejus defen-
sione pugnat Menochius de A. J. qu. lib. 2. c. 453. Antonius Guibertus
Tract. de Matrim. Tit. de Rit. Nupti n. 89. Putat autem ideo *Pontifi-*
cios hoc statuere, ut eò melius defendant vota monastica, inconsultis Pa-
rentibus præstita: quippè si matrimonia liceret rescindere Parentibus, mul-
tò magis vota Monastica, ut plurimum præcipiti Consilio inita, retracta-
rent. Datâ autem in unò Laicis Potestate in Spiritualia, non poterunt
non eam in aliis etiam rectè usurpare, quod in *Concilio Tridentino Archi-*
episcopus Hydruntinus Cardinali Lotharingo objecit, de quo *Petrus*
Svavis Polanus lib. 8. Hist. Conc. Frid. p. m. 884. Quamobrem, *Lutherus,*
Melanchton aliique, videntes *Pontificios* hac ratione in extremum delabi,
medium servare voluerunt, distinguendo, inter *sponsalia & Nuptias,*
seu quod idem est, inter nuda sponsalia & concubitu consummata, quæ
vestita dici possunt. Illa absque consensu Parentum inita, irrita & nulla
quidem declarant, hæc non item, quia hic res non amplius sit integra, de
quò latè *Carpz. lib. 2. Jupc. def. 60. & ibi allegati.* Cui sententiæ ex
Pontificiis etiam *Corasus lib. 1. Miscell. c. 7.* adstipulatur. Verùm &
hæc opinio multis dubiis est obnoxia. Eò enim ipsò, quod Parentibus in
vera sponsalia, quæ vocant de præsentis, jus rescindendi concedunt, etiam
fateri coguntur; concubitu robarata rumpi posse, quia nulla ratio red-
di potest, cur illa rescindi debeant, hæc sustineri. Sponsalia ideo rescin-
duntur, quia partim filius mironennis per imprudentiam lapsus, & ad rui-
nam usque læsus, partim quia Parentibus jus consentiendi, quod omni ju-
re habent, hòc modò adimitur. Sed istæ rationes omnes locum quoque
habent in casu additi concubitus. Unde *Bellarminus lib. 1. de Sacram:*
Matrimonii Cap. 19. lit. F. Copula, (inquit) Carnalis non facit filium
prudentiorem, nec eximit eum à Patriâ potestate. Hinc ita argu-
mentatur: Matrimonium invitis Parentibus consummatum, vel jure vel
iniuriâ, seu non jure consummatum est. Si jure, ergo & jure contra-
ctum; quia alias jure consummari non posset, quod non est jure inchoa-
tum;

tum, quippè quod initio vitiosum, tractu temporis, quamdiu nempe vitiosum est, non potest convalescere. Sin vero non jure, jure etiam post consummationem poterit irritari. Scio, quod dicunt, facilius solvi consummandum, quàm consummatum, maxime si consummatum sine ingenti injuriâ defloratæ, vel imprægnatæ solvi nequeat. Verum respondeo (1) & Nostrates fateri, consensum non concubitum facere, id est, perficere nuptias. (2) Hic non quæritur: annon facilius solvatur consummatum, quàm inchoatum, sed an consummatum planè sic insolubile? Quod dici non potest, quia si ratio illa universalis esset, nulla matrimonia post consummationem dirimi possent, etiam si nullò jure, vel contra omnia jure sint contracta. Imò eadem ratione post stuprum virgini illatum, non posset dirimi conjunctio, cujus tamen contrarium exstat *Exod. 22.* Ad injuriam, quam defloratæ fieri dicunt, repono, quod quædam mulieres decipiantur, quædam verò decipiant & seducant. Quæ incautos juvenes decipiunt, seducunt, eòque saltem sine ad nuptias & concubitum properant, ut jura Parentum antevertant, hæ non patiuntur injuriam, sed inferunt: ergo ratio ab injuriâ desumpta est particularis. Hoc animadvertentes quidam ex *Lutheranis & Reformatis*, imò & pauci ex Pontificiis, etiam consummatas nuptias filiorum, filiarumve invitæ & contradicentibus Parentibus contractas, ipsò jure nullas esse statuerunt. Quæ opinio, si cum moderamine, vel discrimine, inter decipientes & deceptas accipiat, procul dubio justa, pia & in forò servanda est. Nimirum si filius familias minorennis puellæ, honestorum parentum filiæ, sine horum præscita vel conniventia, clanculum insidietur, eamque præviâ matrimonii promissione, ad concubitum malitiosè inducat, tunc utut strictò jure & hoc matrimonium nullum sit, attamen Parentibus (præsertim si ingens personarum & statûs dissimilitudo non adsit, quam inter Nobiles & cives honoratos adesse non puto, ut ut enim genere sint dispares, honestate tamen sunt pares, *l. 22. C. de nuptiis*) perlvadendum est, ne acerbè patriam potestatem exerceant, ut *Ulpianus* loquitur *l. 1. §. ult. ff. de lib. exhi.* Imo licet ex animi quadam obstinatione cedere nolint, æquitas tamen aliquando præferenda obstinationi, magisq; ad damnum deceptæ, quàm ad commodum & lucrum decipientis, respiciendum est, maximè cum Parentes in liberos non absolutum habeant imperium, sed rationabile prout *Dn. Bruneman*: loquitur ad *l. 11. ff. de statu Hom.* Quibus in terminis accepta sententia *Dn. Lutheri, Melancthonis* aliorumq; , uti explicat *Gerhardus tom. 7. loc. Theol. de Conj. pag. 52. Edit. Francof.* procul dubio applausum

sum meretur. Unde non possum non laudare Serenissimum *Johannem Sigismundum Electorem Brandenburgicum, Prussia Principem*, qui in *Jure Provinciali Prutenico*, quod anno 1620. publicatum est, *lib. 2. Tit. 1. art. 1. §. 4. Consistorii* injunxit, ut sponsalia filiorum familias invitatis Parentibus contracta, quibus concubitus accessit, pro ratione circumstantiarum, rata vel irrita judicarent. Adde omninò *Gerhardum d. l. ubi aliud (ait) est querere de jure, aliud de aequitate, & Mevium ad jus Lubec. lib. 1. Tit. 4. art. 2. n. 16. §. 17.* Quod si verò quis asseruerit, talia sponsalia per concubitum indistinctim fieri insolubilia, cum illò quidem hâc de re non litigabo, modò & mihi libertatem permiserit dissentiendi à Pontificiis, qui statuere non possum, sponsalia clandestina per concubitum ipsò jure semper publica seu legitima fieri. Per mulieres autem decipientes vel seducentes hic non tantum rudiores intelligo, quæ juvenibus imberbibus (quos ut plurimum ætate in tantum superant, ut matres eorum esse possint) impudici, & dudum prostituti corporis copiam obtrudunt, promissionemque matrimonii, cum consummatione extorquent; sed potissimum callidiores illas, quæ consequendi patrimonii ergo pudicitiam præ se ferentes, prius blanditiarum retia tendunt, graviter verò irretitos, & libidinis oestrò percitos, ad concubitum admittere nolunt, nisi prius per sacerdotem se fecerint copulari. Hæ si postea nullò servatò *juris & Ecclesie* ordine, per *Pararios & Emissarios* suos, sacerdotalem copulam, quasi in fugâ, & obscuro quodam orbis angulo, à corruptò *Sacerdote* multis mendaciis emendicarint, & ad concubitum, eò saltem fine properârint, ut Parentum aliorumque, quorum interest, contradictiones præveniant; veræ sunt seductrices, contra virginalem pudorem (cujus non est eò modo sibi maritum querere *c. 13. c. 32. q. 2.*) peccantes, atque ideò tam juris quam æquitatis intuitu, ad instantiam Parentum, non attentâ imprægnatione, separandæ, quin insuper una cum filiis familias refractariis, & Sacerdotibus, sive incautis, sive lucri cupidis, exemplariter puniendæ. Quæ sententia his potissimum fundamentis nititur: quia tale matrimonium non consensu constat, (uti decet) liberò & sobriò, sed ut plurimum insanò, temulento, juvenili, vel, ut verbo dicam, cœci amoris impetu furiosò, i. e. nullo. (2) Quia istud conjugium non solùm intuitu Parentum, velut quorum in fraudem contractum & consummatum, sed & ipsius imprægnatæ nullum est: quoniam à parte hujus dolus adest, seu intentio decipiendi incautum juvenem, qui contractui causam dedit, atque multò magis matrimonium (in quo bona fides & libertas consensûs abundare debent *l. 14. c. de Nupt. Ziegl. ad*

La ncel

Lancel. lib. 2. Tit. 12. §. 12. quamquælibet alia negotia nulla & irrita reddidit. Deinde (3) nihil absurdius est, quàm statuerè, concubitus non jure additum, confirmare sponsalia, non jure, seu injuriâ contracta, id est, vitium roborare vitium, remque ipsò jure nullam, validam fieri novâ nullitate, vel quod idem est, vim, factumque improbum, Parentibus id extorquere posse, quod jus non potest. Absurdum est (inquit *Donellus lib. 13. Comm. c. 25.*) eum, qui peccavit ad peccatum confirmandum, novò peccato adjuvari, ad de *Vinnium ad §. 12. de Nupt. n. i.* ubi, quid, (ait) tam absurdum est, quàm dicere, concubitus, rem sine matrimonio illicitam, confirmare actum ipso jure nullum, hoc est, efficere, ut ratum & justum sit matrimonium, quod est contra leges contractum. Ulterius (4) Reipublicæ interest, tales conjunctiones non tolerari, quia nemo, cujuscunq; status est conditionis fuerit, contra talem Familiæ suæ labem & maculam, hoc pacto tutus vel securus amplius esse posset. Nonne autem stolidum & stultum foret, rem qualem cunque aliam, furtò vel dolò ablatam, posse repeti, liberos verò, nulli thesauro comparandos, quorum nuptiæ vel ad honorem, vel dedecus totius gentis & familiæ pertinent, furtò nobis (ut jus *Pruten. lib. 2. Tit. 1. art. 1. §. 1.* rectè loquitur) ereptos, non posse ex miseriæ, & totalis Ruinæ barathro, in quod ætatis imprudentiâ, & libidinis impetu se præcipitarunt, eripi vel liberari. Si severè puniuntur, qui alteri invito paululum pecuniæ auferunt, quid statuendum in eos, qui Parentibus liberos eripiunt, quibus nihil est in mundò charius? inquit *Job à Sande lib. 2. Decis. Fris. Tit. 1. def. 4.* Denique (5) huc facit autoritas Juris divini Veteris Testamenti *Exod. 22. v. 17.* Ubi Patri permittitur potestas dandi, vel denegandi filiam stupratori, cui illa, quæ invito Patre, filium sibi despondit & seduxit, omninò est similis. Atque ita ex ipsis Pontificiis sentiunt. *Beatus Rhenanus ad verba Tertulliani cap. ult. lib. 2. ad Uxorem* ubi hæc verba: *Nam nec in terris filii sine consensu Patrum ritè & jure nubunt: aureis* (ait) *literis scribi deberent. Utinam Theologi & Juri hæc de re Pontificem Romanum, Cæsarem, & reliquos Reges vel Principes admonerent, ut concorditer, ritè & ordine huic malo obviam eatur, seducendi nempe teneros & simplices inconsultis, imò invitis Parentibus. Raptus Virginum in legibus severè est prohibitus, & tamen insidias clandestinarum Nuptiarum ferre cogimur. h. i.* Idem statuunt, *Gropperus in Instit. Colon. à Chemnitio & Bellarmino allegatus, item Claudius Espenceus, Vir magnæ Pietatis & eruditionis teste Thuano lib. 25. Hist. pag. m. 269. Edit. Genev. in*

Folio in Consilio ad Michaelem Hospitalium, Galliae Cancellarium, quod 18. Capitibus constat, & reperitur in Operibus illius pag. m. 625. & seq. quo salvo Ecclesiae & Sedis Apostolicae iudicio, probare nisus est, matrimonia haec jure divino & humano invalida esse & irrita. Nec non *Parlamentum Parisiense*, quod Ao. 1605. Conjugium, invitis Parentibus Contractum, in Ecclesia benedictum, & concubitu consummatum, nullum & irritum declaravit, referente *Ludovico Servin. Tom. 3. des Plaidoyes arrest. 6. Fol. 127.* quod citat *Besoldus* in Consilio apud *Bechstadium de Condit. sponsal. pag. 306. & 6.* super casu: *an patris dissensus sponsalia filii familias, octodecim annorum, etiam concubitu firmata, rescindat?* Quod affirmativè decidit, tribus distinctis quaestionibus: (1) annon tale conjugium sit ipso jure nullum? (2) an capula carnalis in se injusta & interdicta, sponsalia non minus illegitima roborare possit? & (3) annon Pater, non attento, quod res non amplius sit integra, vi patriae potestatis, tale pactum vel conjugium irritare possit? His adde *Erasum* in *Colloquio de Matrimonio*, ubi *Euhulum & Catharinam* loquentes inducit & *Comm. in 1. ad Corinth. c. 7. p. m. 330. Duarenus Comm. in Tit. ff. solut. Matrim. c. 7. circa finem, Franc. Connan. lib. 8. Comm. t. 4. Eguin. Baron. Comm. ad Tit. Inst. de Nupt. Imo,* (quod meritò notandum) ipsum *Concilium Tridentinum* initio hanc sententiam approbavit, referente *Polano Hist. Conc. Trid. pag. m. 651. & seq.* Ubi haec, (ait) opinio, tanquam honesta & pia, nec minus firmis fundamentis subnixam, plus quam altera, magna Patrum parti placuit. Unde in eam perscriptum quoque decretum, nisi ob eas rationes, quae suo loco commemorabuntur, ab eo publicando sit cessatum. Ex Lutheranis Theologis produco *Gerhardum*, qui (ut supra diximus) *Tom. 7. Loc. Theol. de Conjugio §. 82. Edit. Francof. in Folio: His,* (ait) ita praemissis statuimus, matrimonia liberorum, in vitis Parentibus contracta, si vel maxime secuta fuerit copula carnalis, in se ac per se illegitima ac irrita esse, ac Parentes, si jus suum urgere velint, eorum dissolutionem à Magistratu petere posse. Et potest: *Lutherus & alii ex nostris nequaquam hoc volunt, quod matrimonia liberorum, sine consensu Parentum contracta, sint rata ac legitima per concubitum, sed in certis quibusdam Casibus tantum consilium suppeditant, quid ad vitanda majora incommoda, post secutum congressum illegitimum, fieri expediat? Et iterum: atqui in hanc sententiam accipienda sunt quae de matrimoniis liberorum clandestinis, seu per copulam consummatis, non temperè dis-*

disso-

dissolvendis apud quosdam Theologos & JCtos, Wesembecium, Beu-
stium, Schneidewinum (qui in Consistoriis ita pronunciari asserit) ali-
osque occurrunt. Eiusdem sententiæ est Felix Bidembach de *Causf.*
Matrim. cap. 1. qu. 1. ubi; multi (scribit) & Theologi, & in his Phi-
lippus & Adamus Francisci, atque ipse magnus Theologus Chemnitius,
in locis Communibus, secutus Philippum, & JCti statuunt, post concu-
bitum, autoritate Parentum, non amplius rescindi posse conjugia, cum
fit habenda ratio mulieris, vitata. Sunt tamen, qui contrariun-
statuunt, cum consensus, non concubitus faciat nuptias &c. Prasertim
si filius vel filia sit minorennis & altera persona inhonesta, aut si alia
occurrerint circumstantia, qua factum accusent magis, quam excu-
sant. Nec toleranda est nequitia liberorum, qui ut Parentum con-
senjum vel extorqueant, vel reluctantes Parentes dolose circumveni-
ant, aut fingunt copulam intervenisse, aut reverâ carnaliter concum-
bunt, quibus se tantò facilius potiri posse sperant. His subscribunt Ca-
spar Erasmus Brochmand. Tom. 2. Tb. art. de Conjug. c. 4. q. 12. Nec
non Jenenses consilio apud Ludov. Dunte Tit. vom Ehestande qu. 26.
Ex JCtis laudari meretur Ernestus Cothmannus vol. 1. Respons- Jur. 1. n.
198. ubi: magna, (ait) questio est & valde ardua: utrum post concu-
bitum matrimonia sine Parentum consensu contracta, jure rescindan-
tur? Negant alii, alii affirmant - Ego quamvis agnoscam, me Eum
non esse, qui de hac controversia, inter doctissimos Theologos & JCtos
agitata, litem feliciter dirimat, rationes tamen in medium afferam,
quibus posteriorem sententiam, jure & rationi magis consentaneam,
evincere conaber. Et n. 205. & 10. si fædo & impuro, (ait) concubitus
procus quispiam Parentis inviti & inscii, filiam sibi conjugem ju-
re adsciscere posset, quid quæso facilius erit, quàm eâ, quam
impiè & temere sibi conciliavit, eadem impietate & temeri-
tate potiri? Eludentur ista ratione jura divina & humana, ne-
quitia fenestra aperietur, tandemque efficietur, ut delicta & scelera
maurentur. Imo flagitiosus concubitus efficiet, ut matrimo-
nium, omni jure illegitimum & vitiosum, convalescat h. i. Inter Re-
formatos huic sententiæ patrocinator Theodorus Beza Tract. de Repud.
& divort. pag. 77. ubi: sed quid (ait) si ejusmodi sponsalia conjugium
fit re ipsa consecutum? Certe si causa spectetur, cur prorsus irrita sine
hujusmodi sponsalia (quoniam videlicet consentire in sui ipsius tra-
ditionem non potest, qui sui juris non est) efficietur, multò minus va-

lere ipsum conjugium, utpote in quo expressior & certior consensus requiritur. Et postea pag. 141. si forte sponsalibus absque Parentum consensu factis, benedictio per fraudem, aut malis artibus impetrata, ac multò magis si copula subsequuta sit, queritur: an Parentibus, aut qui Parentum loco sunt, ejusmodi Conjugium ipso jure nullum esse contendentibus, secundum eos si judicandum? Respondeo, si Parentes neque ultrò (quod videtur in Esavi matrimonio factum) neque rogati confirmarint, nullum matrimonium contractum videri. Beza adstipulantur Clarissimi ex Reformatis tam Theologi, quam Jcti, quos curiosè citavit supra dictus Johannes à Sande in suprema Frisiorum Curia Senator lib. 2. Tit. 1. decis. Fris. Def. 4. qui: matrimonium, (inquit) sine Parentum consensu contractum, per subsequentem copulam carnalem non ita confirmatur, ut dissolvi à Parentibus nequeat. Item Arnoldus Vinnius ad pr. Inst. de Nupt. & Albericus Gentilis lib. 4. de Nupt. c. 3. 4. 5. & seq. qui Lect. & Epist. lib. 3. c. 8. olim aliter senserat. Si jura Statutaria respicias, plurima reperies, quæ Juri divino ac Civili Romano convenienter hac de re statuerunt. Inter quæ laudari merentur Statuta Hamburgensia, quibus hujusmodi conjugia stulta & temulenta, etiam benedictione & concubitu consummata, annullantur & rescinduntur: Vide Hamburgische Baur- oder Burgsprache de anno 1594. §. dieweil/ item Stadt Hamburg Gerichts- Ordnung und Statuten Tit. XI. art. 1. & 2. Mandatum Senatus Hamburgensis de 16. Junii 1676. & Edictum pœnale Senatus de 21. Septembris anni ejusdem, quod reperitur in fine Statutorum Hamburgensium, prout in IVo edita sunt, sed sine die & anno. De quo etiam casus ille testari poterat, qui ante aliquot annos ibidem contigit, inter A. A. S. & E. S. qui non attentâ consummatione, per sacerdotalem benedictionem & concubitum facta, separati sunt, utut juvenis fuerit viginti duorumque annorum. Extant Responsa Facultatum Juridicarum Rostochiensis & Kiloniensis contra istud matrimonium, quæ legi merentur. Lipsienses equidem pro illo responderunt, sed refutati sunt Scriptò publico, cui Rubrum est Unvers greiffliches Bedencken eines unpartheischen Rechtsgelehrten / über das jüngst im Druck ausgegebene Responsum &c. Jure Provinciali Prutenico, ut ut supra laudatus Paragraphus, quo Consistoriis injungitur, ut talia conjugia ex circumstantiis, vel rata vel irrita dicant, sit correctus vel revisus, ita ut conjugia liberorum invitis Parentibus inita, inter punibilia quidem, rata tamen reputentur; Veruntamen tot limitationes sunt

sunt additæ, ut tutò affirmari possit, isthac correctione priori Juri, nihil additum esse, vel detractum. Primò enim ab ista Regulâ exeipiuntur minores, de quibus tamen hic non loquimur. (2) illi, quibus Parentes prædixerunt, se consensuros non esse, quibus omnino & summa ratione accenseri merentur, quos Parentes propter absentiam aut loci distantiam, monere non possunt, vel quæ studio seu datâ operâ, omnia clanculum agunt, ne aliquid ad Parentum notitiam perveniat. Imo si dicendum, quod res est, illæ porissimum hic debebant intelligi, quæ benè gnaræ, quem subesse Parentum potestati, tamen his nihil de tentatò conjugio (utut facillè possint, imò debeant) perscribunt, vel significant, sed post festum & concubitum demum, illorum consensum non implorant, sed postulant. Tales certè nullo favore dignæ, sed reverà sunt seductrices, decipientes potius, quàm deceptæ, inferentes injuriam, non perferentes. Concordat autem revisio dicti §. *Juris Prutenici cum Constit. Elect. Saxon. Joh. Georgi II.* quam citat *Carpzovius Jurpc. lib. 2. def. 60.* qua *Legislator Saxonicus*, diversam Saxonice praxin (aliter namque pronunciatum *supremum Dresdense Consistorium*, aliter *Lipsiense & VVittenbergense*) in unam redigere voluit consonantiam, ut proinde appareat, etiam inter *Saxones*, vel ipsius *supremi Consistorii* judicio, hanc sententiam, sæpè fuisse approbatam, id quod *Carpzovio* decisionem hujus rei adeo difficilem reddidit, ut tandem aliis eam judicandam reliquerit *n. 18. ibid.*

Quæst. X. Quid tamen ad rationes *Pontificiorum* & quorundam *Nostratium* respondes, quorum illi (ut diximus) ne sponsalia quidem perfecta Parentum dissensu solvunt, hi verò sponsalia quidem, sed non nuptias?

xi. Ratio *Pontificiorum*, quam à naturâ *Sacramenti* petunt, nullius quidem hili & pili est, ut alibi millies jam diximus. Imprimis autem hic repetendum, ex *Petro Svavi Polano*, vel *P. S. Veneto lib. 8. Hist. Conc. Trident. pag. 884.* nempe in primo limine Decreti, de *Reformatione Matrimonii plurimos hæsisse, cum tanquam Articulum fidei definiri intelligerent, matrimonia liberorum clandestina, vera esse sacramenta, Ecclesiam nihilominus ea semper detestatam esse, cum certè perquam absurdum sit, sacramenta habere detestabilia.* Præterea huc
penti

pertinent verba *Erasmii Comment. in 1. ad Corinth. 7.* ubi: *furtim* (inquit) *inter pueros & puellas, per lenones ac lenas, inter stultos ac temulentos, & tam turpiter inicitum conjugium, quomodo indissolubile, & quod magis est, quomodo sic inicitum erit sacramentum?* Et postea: *Consensum requiro sobrium, non per insidias, aut temulentiam extortum: Consensum ex Amicorum consilio adhibitum, ut par est, in re, quæ rescindi nunquam possit, & quæ mereatur inter Ecclesie Sacramenta numerari.* Inprimas huc spectat *cap. 15.* laudati *Consilii Claudii Espencei* ubi quæstionem tractat: *an matrimonium clandestinum sit Sacramentum?* & *Delphini* Resolutionem pro affirmativa, valde, irresolutam vocat, in qua multiplex sit petitio Principii. Similiter *Gropperus in Instit. Colon. Sci-mus,* (inquit) *Ecclesiam hæc matrimonia multo ex tempore sustinuisse, nec facile recidisse, ne simplicitas fraudi esset vitiatæ puellis, nec adolescentibus impune foret, quod puellis stuprum intulissent. Verùm cum experientia doceat, hæc Ecclesie indulgentiam, innumeris malis abutentium vitio, ansam præbere, quis non videt, longè satius esse, ut clandestina illa matrimonia, quæ omninò rationem Sacramenti non habent, ab Ecclesia tollantur.* Putat equidem *Bellarminus c. 20. de Matrim. lit. c. & d.* quasi *Gropperus* hic non loquatur de Matrimonio, cui tantum deest Parentum Consensus, sed quod præterea sensu Pontificiò clandestinum est, nempe cui deest benedictio in facie Ecclesie peracta. Cujusmodi clandestina conjugia, cum irritarit *Concilium Tridentinum,* ideò *Gropperi,* aliorumque desiderio jam satisfactum, sicque eum amplius à reliquis sic dictis Catholicis non dissentire existimat. Verùm licet hæc sententia solius *Gropperi* iudicio, neque stet, nec cadat, ostendendum tamen est, minus dextrè *Bellarminum* hic interpretari *Gropperum.* Nimirum *Gropperus* (1) diserte loquitur de talibus matrimoniis, quæ Ecclesia ex multo tempore consuevit sustinere. Sed ista verba vix Conveniunt Nuptiis filiorum familias, benedictione Ecclesie carentibus, velut, quas *Ecclesia* ex multo tempore jam ante *Concilium Tridentinum* seriò improbavit, vide *Can. 2. C. 30. qu. 5. Sc. 19. C. 35. qu. 2.* (2) Ratio *Gropperi,* quam de innumeris malis & incommodis ex abutentium vitio affert, male admodum quadrant Nuptiis, sacerdotali tantum benedictione destitutis; quippè non vidèò, quænam sint illa mala innumera, quæ ex solius benedictionis defectu oriri possint. Præter decori namque & ordinis publici violationem, (quæ, ubi matrimonia coram Magistratu contrahuntur, nihil attendi constat) mala certè pauca vel nulla sunt, quæ istum defectum

sectum comitantur, cum contra ex neglecto, vel protervè contempto Pa-
rertum consensu, infinita ebulliant, quæ quoniam per Benedictionem sa-
cerdotalem, etiamsi accesserit, non corriguntur, hinc non video, quâ fron-
te *Bellarminus* scribat: per *Tridentinum Concilium Gropperi*, aliorumq;
desiderio jam esse satisfactum. (3) Magna simplicitas est, *Gropperi* queri-
monias de tali casu velle accipere, qui rarò vel nunquàm contingit. Ete-
nim det quæso, *Bellarminus* exemplum Filii familias, qui absque consensu
Parentum, Matrimonium (de hoc namque loquitur *Gropperus*, non de
sponsalibus) contraxit, neque se fecerit per sacerdotem copulari? Certè
tantum abest, ut liberi inobedientes hunc Ecclesiæ ritum negligant, ut po-
tius semper ferè ad illum properent, saltem ut eò firmiter fiat vinculum,
nec interventu Parentum dissolvi queat. Frustra itaque hic *Bellarminus*
Gropperum conciliare satagit, quem ipsemet ibidem scribit: *S. Thoma*,
aliisque sanioribus *Theologis*, *Pontificiis* scilicet contradicere. *Nostra-*
tes quod attinet, tametsi, hi matrimonium inter Sacramenta non ponant,
si tamen benedictio sacerdotalis & concubitus accesserint, pro indissolu-
bili illud venditant, quia tunc designet *mysterium inter Christum & Ec-*
clesiam, faciatque, ut locum habeat illud *Matthæi 19. quos DEUS con-*
junxit, homo non separet. Huc accedit, quod ferè in Regulam abierit:
Sponsalia clandestina per concubitum publica seu legitima fieri. Quas
quidem rationes non allegat, fortè tamen alias non habet *Carpzovius* sta-
tuens: expediti Juris esse, Conjugia liberorum clandestina benedictione
Sacerdotali roborata, esse insolubilia *IprC. lib. 2. def. 60. n. 1.* quod clarè
apparat ex collatione *def. 66. n. 13.* ubi per sacerdotalem copulam DEO
conjugium consecrari, in individua consuetudinis initium, imo ex eo tem-
pore *Sacramentum* seu *Mysterium* inter Christum & Ecclesiam designa-
re, scribit. *Quis ergò (ait) tale conjugium à DEO consecratum, aut*
tantum mysterium rumpere audeat. Adde *def. 69. n. 5. & seq.* ubi: *Copu-*
la, (inquit) carnalis adeò clandestinitatem purgat, ut sponsalia pu-
blicè & cum consensu Parentum contracta habeantur, id est firma &
obligatoria. Verum hic notandum (1) matrimonium quidem, fatenti-
bus *Lutheranis*, designare mysterium inter Christum & Ecclesiam juxta
Pauli dictum, sed num ille character, illa figura, à sacerdotali demùm be-
nedictione illi accedat? de eo non sine causa dubitabit, quicumque in ne-
moriâ sibi revocaverit, inter *Nostrates* plurimos reperiri, qui benedicti-
onem sacerdotalem inter mera externa & adiaphora numerant, quæ
conjugium in se legitimum, nec roborant, nec perficiunt: vide Respon-
sum

D

sum



sum *Facult. Theolog. Rostochiensis* apud *Dedekennum* in *Appendice* ad *Volum. 3. n. 4. pag. 35. & 36.* quod meritò opponimus *Consilio* ejusdem *Facultatis*, quod citat *Carpzovius lib. 2. def. 6. n. 1. (2)* Huc pertinent verba *Erasmi* ex *Comment. in 1. ad Corinth. c. 7. p. m. 330. in fine*, ubi: quod objiciunt, (ait) quos *DEus* conjunxit, homo non separet, non magno negotio solvi potest. Hoc *DEus* conjunxit, quod ritè conjungitur, & hoc *DEus* dirimit, quod ritè dirimitur. Apud *Ethnicos* non erat ratum matrimonium, nisi *Parentum* aut *Tutorum* autoritate comprobatum, & ne apud *Judeos* quidem. Apud *Christianos* autem facillimè erit conjugium, & semel initum, nullo pacto potest divelli. Et postea: ubi cognita causa *Episcopus*, aut legitimi *judices* dirimunt tale matrimonium, non hoc separat homo, quod *DEus* conjunxit, sed quod malè conglutinavit pueritia, quod vinum, quod temeritas, quod inscitia, quod malè per *lenas* ac *lenones*, *diaconos* suos, conjunxit *Diabolus*, hoc per *ministros* suos rectè dirimit *DEus* &c. adde *Oldendorpium* *Classe 4. Act. 26. pag. m. 454.* & *Corasium* *lib. 1. Miscellan c. 17.* ubi: non leves, (inquit) vanos, stultos impudentes, repentinâ affectione permotos, per fraudem illectos juvenes, futurosque per omnem vitam, propter *morum* dissimilitudinem, discordes, *DEus* *O. M.* junxit, sed hoc tantum copulat, quod ritè & honesto modo jungitur. Ipse *Pontifex Cælestinus*: quod contra (inquit) edictum & ordinem *Ecclesie* factum est, ratum non haberi tam *divine*, quàm *humane legis* proclamat *autoritas c. 2. C. 35. qu. 6. (3)* tantum abest, ut ex rescissione talium connubiorum scandalum seu prostitutio sacri ritus metuenda sit, ut potius ex defensa validitate, magna prostitutio sacrorum, summumque scandalum sit oriturum. Hodie, (inquit) *Dr. Brunnem. lib. 2. Jur. Eccles. c. 16. n. 6.* Sæpius peccatur, quando *Ecclesiarum* *Ministri* copulam sacerdotalem turpiter prostituunt, dum *vagabundos*, non requisito consensu *Parentum*, copulant. Inde necessarium est, ut *publica* proclamationes copulandorum non omittantur, quo vel *Parentes*, vel illi, cum quibus antea fortè contracta sponsalia, debito tempore intervenire, & benedictionem impedire possint. h. i. Unde apparet, posito, ex sacerdotali Copula insolubilitatem conjugii accedere, id tamen intelligi non posse, nisi de benedictionibus ritè & ordine, non verò tumultuariè, inter pocula omnis generis fraudibus procuratis, quas qui sacramentum, vel conjunctionem *Christi cum Ecclesia* designare dicit, Eum procul dubio in magno sanæ mentis exiliò versari oportet. Qui
ex

ex hujusmodi benedictione firmitatem conjugii colligit, media, publicæ pietatis & honestatis, convertit in vincula iniquitatis & nequitæ, eoque ipso *Ecclesiam*, ejusque ritus, & Statuta, non honorat, sed prostituit. Ad Regulam illam, quâ concubitus clandestina sponsalia legitimare dicitur, respondeo, eam omni prorsus fundamento destitui. Ubi enim scriptum est: impurum & foedum concubitum, purgare clandestinitatem? Quæstione antecedente jam diximus, id absurdum esse, atque idè istam regulam, ad quam *Carpzovius* in *IrprC. def. 69. n. 5.* provocat, nullo juris tibi sine suffulciri, præterquam quod per concubitum contrahentes *fiunt una caro.* Vide *Brunnem. ad l. 22. ff. de Rit. Nupt. n. 9.* ubi: *Omnia copula (ait) carnalis facta inter personas habiles, inducit matrimonium.* Sed si ista ratio est sufficiens, vel illa regula concludens, tunc meretrices habendæ sunt pro uxoribus, quia dicente *Apostolo 1. ad Corinth. 6. v. 16.* illi qui adglutinantur scortis, cum iis fiunt una caro. In personis, quæ plene sui juris sunt, id quadantenus concedi posset, de jure Civili, veluti quod clandestina sponsalia non improbat. De jure autem Statutario, quod clandestinitatem omnem solenni tantum repetitione vult purgari, (quod facit *jus Saxonicum*) ista regula etiam in his, qui sui juris sunt, non procedit. Qui Regulis delectatur, is potius dicat: Nuptiæ Filiorum familias, in fraudem Parentum contractæ, & consummatæ, regulariter, & stricto jure sunt nullæ, nisi æquitas in quibusdam circumstantiis aliud postulaverit. Igitur, qui exceptionem in Regulam, & contra Regulam in exceptionem convertit, illi meritò occinitur vetus illud: *verte & fiet calceus.* Deinde *Carpzovius* sibi hâc in re iterum videtur contradicere, quando *def. 69.* scribit: *per copulam clandestinitatem purgari, ita ut sponsalia inde publica fiant, non secus ac si cum Parentum consensu fuissent contracta:* *Def. autem 75. n. 19.* *Copula,* (inquit) *carnalis nihil efficaciam sponsalibus posterioribus addit, nec novum vinculum necit, quia sponsalia illa sunt ipso jure nulla.* At si copula in præjudicium sponsæ prioris nihil purgare potest, quid quæso in præjudicium Parentum purgabit, cum sponsalia nuda, in fraudem Parentum inita, ex ipsius *Carpzovii* sententiâ, non minus nulla sint, quàm in præjudicium prioris sponsæ contracta. Imò Parentes per inconsulta liberorum conjugia, majora sæpius damna patiuntur, quàm sponsa prior per secunda sponsalia, atque idè etiam non debiliore juris prætextu nulla dici possunt. Præterea *def. 60. n. 10.* inaniter se torquet, inquiens. *Copula carnalis purgat quidem clandestinitatem, ratumque facit conjugium,*

licet non faciat legitimum. Quod idem est, ac quando à nonnullis (quos Besoldus in dicto Consilio apud Bechstadium p. 305. citat, obijcitur: concubitus illicitum non quidem efficere, ut matrimonium illicitum convalescat vel legitimum fiat, hoc tamen operari, ne dirimi queat. Sed respondet ibidem Besoldus: Si prætensum matrimonium per copulam non corroboratur, vel legitimatur, quid obstat, quò minus dirimi possit? Ea enim, quæ valida non sunt, cur non dirimantur? Intelligi non licet, quomodo vitium per gravius vitium purificetur? Non equidem ea, quæ contra jus facta sunt, ita irrita fieri possunt, ut pro infectis, si res amplius integra non sit, habeantur, ita tamen accipienda sunt, ut careant omni Juris commo & effectu. Et pag. 33. distinctio (ait) conjugii in ratum & non legitimum, est inventum recentius, à ratione alienum, ipsisque vetustioribus Canonibus omninò contrarium. Illi enim ejusmodi copulationes minime connubia rata, sed fornicationes & adulteria indigitabant. h. i. Porro scandalum, injuriam vitiatæ, innocentiam partus, & duritiem hujus sententiæ urgentibus, respondet (1) Job. à Sande lib. 3. Decis. Fris. Tit. 1. def. 4 majus foret scandalum jus patriæ potestatis, divino & humano jure constitutum, labefactari, quàm illicitas has Nuptias, per concubitum, æque illicitum, confirmari. Et major est habenda ratio totius Ecclesiæ, quàm privata injuria. Non enim est, quod mulier de injuria conquerratur. Nam si ea nupsit Filio familias, sine Patris ipsius consensu, imputet sibi, si quid inde damni vel dedecoris contrahat, quia in re tanti momenti, æquitati & honestati repugnando, Jus divinum & humanum violavit, ideoque secundum Parentes potius, quorum auctoritas laesa est, quàm secundum illam personam, quæ si decepta est volens decepta est, judicandum erit. (2) Duarenus Comm. in Tit. ff. soluto Matrim. c. 2. circa finem, etsi (ait) duram acerbamque hujusmodi separationem esse non negem, tamen si jus, veteresque canones diligenter observentur, id est, si impunitam non relinquerent talem audaciam Magistratus, ac Judices, quorum est cognitio, aut nunquam, aut certè perrarò contingeret, ut eâ severitate sit utendum. (3) Respondeo, sit magnus favor partus, tantus tamen esse non potest, ut per illum alteri injuria inferatur, id est avo vel aviæ invitis, heres adnascatur. Et huc pertinent verba cap. 3 X. de Claud. despons: ubi Innocentius III. Proles (ait) illegitima confetur, si ambo Parentes, impedimentum scientes legitimum, etiam in Conspectu Ecclesiæ contrahere præsum-

presumerint. Certe si innocentiam partus velis respicere, omnis me-
retrix docenda esset, quia inter spurium & natum ex nuptiis, invitis Pa-
rentibus contractis, quoad ejus innocentiam, nihil interest. Et hæc
quidem sufficere possent, nisi recorderer supra rationes allatas esse, quæ e-
vincere videntur, conjugia liberorum, invitis Parentibus contracta, saltem
jure naturali & divino non esse nulla, quod etiam multos ex doctioribus
asseruisse constat. Addendum itaque paucis hic erit.

Quæst. XI. Quid de ipsorum rationibus sit sen- tiendum?

¶ Jus naturæ, quod attinet, dicunt nuptias essentialitè consensu
contrahentium constare, atque idè perfectas Nuptias contrahere, qui Pa-
rentes vel planè amplius non habent, vel furiosos, vel absentes, vel nulli-
tè contradicentes. Sed istæ rationes non magni sunt ponderis. Quod
enim (1) dicitur, liberos perfectas nuptias contrahere, qui Parentes non
habent, id nobis non obstat, quia hic non quærimus: an Consensus Pa-
rentum sit de substantiâ Conjugii simpliciter (quod nemo asseret) sed an
necessarius sit ad Nuptias liberorum minorennium, in sacris Parentum
constitutorum? Hoc regularitè affirmamus. Et quamvis contingat hanc
regulam exceptiones quandoque pati, nihilominus tamen in thesi vera
manet, quia definitiones seu regulæ in Moralibus sic comparatæ non sunt,
ut immotæ sint veritatis: quod *JCtus Javolenus* innuit *l. 202. ff. de Reg.*
Juris, inquit: *Omnis definitio in jure periculosa est, parum enim est,*
ut non subverti possit, nempe per exceptionem & limitationem. Non
apparet itaque ratio, cur liberi refractarii tantum peccent, non verò nulli-
ter agant, quippe qui alteri id, quod suum est, dolo vel fraude eripit, non
tantum peccat, sed & nullitè agit, ut patet exemplo manumittentium in
fraudem Creditorum. Id verò faciunt, qui Parentibus liberos minorenn-
es, inæstimabiles, furtò eripiunt, ergo nullitè agunt. Quam ob rem
planè non facio cum illis, qui liberos tales peccare quidem, atque exhere-
dari, non verò separari posse statuunt. Qui sic sentiunt, juri non tantum
obloquuntur, (quippe *Cujacius lib. 3. Observ. 5.* rectè observat: Nupti-
as sine Parentum consensu contractas, utut in se injustæ sint, inter causas
tamen exheredationis minus rectè referri,) sed reverà etiam duriores, &
iniquiores in liberos existunt, quàm qui nuptias illorum in consultas pro-
nullis habent, quia hi eos servare, illi verò perdere, & ad desperationem
adigere gestiunt, subtrahendo media, sine quibus vivere, & uxorem alere

nequeunt. Sed quid *Bellarmini* respondes dilemmati? qui: *ad nuptias* (ait) *aut Consensus contrahentium sufficit, aut non sufficit*: sin prius, tunc perspicuum est, Consensum Parentum non exigi. Sin posterius, tunc contrahentium consensus non sufficit, vel, quia ipsis deest usus liberi arbitrii, vel maturitas consilii, vel quia ita subjiuntur Parentibus, ut jus non habeant de statu suo disponendi. Primum ideo dici non posse putat, quia alioquin liberi nec cum Parentum consensu nubere possent, propter defectum voluntatis. Secundum verò ideo rejicit, quia maturitas consilii non necessariò exigitur ad matrimonium, rursus ideo, quia usus liberi arbitrii sufficit, sæpeque accidit, ut qui Parentes adhuc habent, sint maturioris consilii, quàm alii, Parentibus jam orbat. At enim verò hæc objectio non multum facessit negotii. Enim vero (ut ab ultimò incipiam) ibi committit fallaciam accidentis, dum dicit: *sæpe accidit, ut Parentes habens sit vir longe prudentior, quàm qui non habet*. Quippe nos hic non loquimur de eo, quod quandoque accidit, sed quod regulariter fit & frequenter. At regularitèr liberi minores, Parentum potestati subiecti, adhuc carent iudicio, quò electio conjugis indiget. Deinde in eo cavillatur, quod loquitur de Viris Parentes habentibus, cum non ignorarit, potissimam quæstionem esse de liberis minorennibus: Nam de majorennibus (ut alibi dicitur) fortè non habet contradicentes. Quod autem de usu liberi arbitrii dicit, talem sufficere ad conjugium, qualis alioquin requiritur ad peccandum, istud nequaquam concedi potest, sed petitur id, quod erat in principiò quæsitum. Nimirum quod *Theologi*, & nonnunquam *Jcti liberum arbitrium* vocant, id *Philosophi liberam* appellant *voluntatem*. *Voluntas autem libera* dicitur, (1) quando non est coacta. Sed hoc sensu *liberum arbitrium* vel *libera voluntas* tam latè patet, ut & de brutis prædicetur, quæ itidem spontè agere *Arist. docet 3. Etb. c. 2*. Et quanquam voluntas homini propriè competat, quia est cum electione: vide *Giphani ad cap. 1. libri 5. Etb.* attamen infantes etiam hoc sensu liberò arbitriò utuntur, item omnes, qui supra infantes paululum sapiunt. (2) *Voluntas libera* dicitur, quando quis agit cum deliberatione & proæresi, id est, quando novit *quis, quid, circa quid, vel in quo, cujus causa & quomodo agat*. Hoc posteriori sensu, infantes pueri & minores rarè liberò arbitriò utuntur, propter lubricam ætatem, & quia affectibus magis, quàm ratione vivunt. Igitur, quando *Bellarminus* ad contrahendum conjugium usum liberi arbitrii sufficere scribit, tunc liberum arbitrium in priori significatione accipit, statuitque, puerile
vel

vel infantile iudicium, quod ad peccandum alioquin idoneum est, ad matrimonium ineundum sufficere, quod nescio, an deceat *tantum Theologum*, conjugium inter res maximè arduas, imò inter *Sacramenta* ponentem. Impossibile equidem est, ut omnes, qui matrimonium ineunt æquali iudicio & maturitate polleant; subinde tamen Reipublicæ inter est, ut qui regulariter iudicio carent, ante debitæ discretionis annos, suo arbitrio non permittantur. Verissimum igitur manet, minorenes liberos, ita Parentibus subijci, ut jus non habeant de statu vitæ suæ disponendi. Quod certè non refellit *Bellarminus*, dum ait: Sed neque tertium dici potest: quippè licet filius Patri obedientiam & reverentiam debeat, tamen quando usum liberi arbitrii habet, liber & sui juris est, non minus, quam Pater in his, quæ ad vitæ statum pertinent. Quibus in verbis sanioribus *Juris*, & *Politicis* in faciem contradicit, quorum nemo unquam asseruit, hominem alieni juris, similem habere libertatem de statu suo disponendi, qualem is habet, cujus potestati subiectus est. Etenim implicat per omnia sui, & insimul alieni Juris esse. Inutilis vel vana foret patria potestas, si omnia filio licerent, quæ Patri licent. Et quanquam liberum arbitrium filius habeat, quæ homo est, non tamen id omninò habet, quatenus alieno juri subiectus est, quia quamdiu heres infans est, à servo non differt, prout nonnulli *Apostolus* loquitur. Cœterum adhuc sententiæ nostræ contradicit *Osiander ad Grotium pag. m. 762. ex Hulsemano* sequentia adducens: dissensus Parentum irrita facere non potest cœtera essentialia matrimonii, sive moralia, sive naturalia, quia Consensus inter hæc essentialia specificè non ponitur, sed tantum genericè ad roborationem quorundam actuum electitiorum filiorum familias. Cujusmodi quid etiam *Zieglerus ad Grotium notat pag. m. 275.* Verùm hæc objectio suâ subtilitate facile corrui. Quid enim hoc est? Consensus Parentum inter essentialia matrimonii non specificè ponitur, sed tantum genericè. Ego (ut supra jam dixi) id inverterem, dicendo: consensum Parentum non genericè ad conjugium, sed specificè, id est ad matrimonia filiorum familias tantum pertinere, quippe si genericè ad essentialiam faceret, definitionem matrimonii ingrederetur, quia genus est de essentiâ definitionis, quod tamen nemo dixerit. Et hæc de jure Naturæ. Ut rationibus ex jure divino petitis breviter respondeamus, & ad Exempla quidem *Esavi, Jacobi, Tobie &c.* de (1) notandum est, istud non ob stare, quia *Esavi* conjugium magis facti fuit, quam Juris, undè etiam in *Scripturis* disertè dicitur, quod boni Parentes inde summoperè fuerint afflicti,
qui,

qui, si jure suo uti voluissent, procul dubio id irritare potuissent. Sed temporum istorum ratio id nondum patiebatur. Ad (2) respondeo *Jacobum* cum Potestate nubendi à Matre & Parentibus dimissum, cum monitò tamen, ne gentilem, vel Cananæam duceret, quod & servavit. *Gen. 28.* Ad (3) repono, exemplum *Tobie* singulare esse, quia istæ Nuptiæ *Deo Autore, & Angelo duce* contractæ, exemplum ingrati vel inobedientis filii, non constituunt. Si quem Deus occidi, aut res alicujus auferre præcipiat, non licitum sit homicidium, aut furtum, quæ voces involvunt vitium, sed non erit homicidium, aut furtum, quod vitæ & rerum supremò Domino sit Autore, inquit *Grotius lib. 1. de J. B. & P. c. 1. n. 10.* Id quod hic benè potest applicari. Præterea *Tobias* non contradicentibus, sed insciis tantum Parentibus nuptias contraxit, quæ multum (ut supra jam diximus) differunt. Etenim, qui contra interdictum Parentum uxorem ducit, ille quos honorare debebat, contemnit & negligit. Qui verò ipsis tantum insciis id facit, sæpè alias causas necessarias habere potest. Id quod in casu *Tobie* contigit, qui Parentes non contempsit, sed loci distantia impeditus, in consilium vocare non potuit. Accedit, quod *Tobias* fortè non amplius fuerit minorennis, quodque aliud sit, insciis Parentibus Nuptias inire honoratas, cum Personâ æquali, honesta, & benè dotata; aliud verò cum infami prostibulo, simulq; mendicâ aut extremè inope, quæ causa totalis Ruinæ juveni esse potest. In prius credibile est, Parentes facillè consensuros, quemadmodum ipsius *Tobie* exemplum docet, in posterius nequaquam, atque ideò à nuptiis *Tobie*, ipsi, totique Familiæ salutari- bus, gratis & acceptis, ad alias qualescunque stolidas & stultas, argumentum non prece- dit, maxime cum ipso Jure Civili secundu n superius dicta inter ejusmodi nuptias multum interfit. Etenim, qui Parente igno- rante, cum consulere eum facillè potuisset, nuptias contrahit, & liberos generat, illegitimos generat per *l. ii. ff. de stat. hom.* qui verò absente Patre contrahit, ubi consensum habere non potest, non illegitimè con- trahit, dummodò talem ducat, cujus conditionem certum sit, Patrem non repudiaturum esse per *l. ii. ff. de Rit. Nupt.*

Quæst. XII. Quid obtinet in liberis minorenni- bus, Parente jam orbatis, i. e. vel sub Ma- tris, vel Curatorum directione viventibus?

R. Tractat de Matre *Fabrotus Exercit. XI.* ex antiquitate eruditè quidem, sed confusè. Nimirum quæstio hæc dupliciter potest intelligi (1)

an

an saltem honestum & æquum sit, etiam Matris, Agnatorum vel Curatorum Consensum Nuptiis adhibere. (2) An Matris Curatorumve consensus aded necessarius sit, ut si liberi eum neglexerint, sponsalia aut nuptiæ eo prætextu possint irritari? Primū seu quod Matrem attinet, dubio caret. Enim verò etiam si Pater adhuc in vivis sit, æquum tamen & honestum est, Matris quoq; consensum adhiberi, quia non tantum jus divinum, quando Parentes honorare præcipit *Exod. 20. v. 12. Deut. 5. v. 16. Prov. 1. n. 8. Matth. 15. v. 4. ad Eph. 6. 2.* Matrem Patri semper jungit, sed & quia jure civili æqualem utrique Parenti pietatem deberi, disertè proditum est *l. 4. ff. de Curat. Furios. dando, item leg. 4. C. de Patr. Potest.* Imo pii non solum vel reverentis animi, sed & prudentis est, Matrem non negligere, quia in Matrimonio benè concordante, seu felici, tanta ut plurimum solet esse Matris Autoritas, ut in filiabus præcipuè elocandis, notum sit proverbium Germanorum: *Wer die Tochter haben will / der muß es mit der Mutter halten.* Potissima igitur disputatio est de secundo: nempe an ita necessarius sit consensus, ut nuptiis tam contrahendis, quam contractis, impedimento esse possit? Quod iterum multipliciter accidere potest. (1) Si Mater cum Patre vivo concurrat, ab eoque dissentiat, (2) Si Patre mortuo, inter eam & Tutorem sit dissensus, & (3) si vel sola sit, vel cum Tutoribus ejusdem fuerit sententiæ & voluntatis? Primum quidem huc non pertinet, quia quæstio hic est de liberis Parente jam orbatis; receptum tamen est, in concursu Patris & Matris, prioris judicio standum esse, quod Jure Civili indubium est, per *l. 12. § 20. C. de Nupt.* non solum quia liberi isthoc jure sub Patris, non Matris potestate sunt, verum quia ipsa etiam uxor sub Imperio & manu Viri, vel Mariti est. Atque ideo cum olim Irene Imperatoris *Andronici* uxor, filium *Johannem* ad externum conjugium ablegare vellet, Imperator ejus conatus antevertit, dicens: se quoque Parentem esse, & præterquam, quod non minus, quam Mater Filium curaret, etiam autoritate antecellere, nec esse quicquam, quod obstaret, quo minus Patris voluntas potius, quam Matris de Filio rata haberetur, apud *Nicephorum Gregoram lib. 7. Hist. Rom. cap. de Imperatrice Irene 14. conf. Cypræum de Spons. c. 5. Carpz. lib. 2. IprC. def. 44.* Quod tamen limitandum, modo Pater sanæ sit mentis, ac sani consilii, non autem vitæ planè dissolutæ & inertis: tunc enim (Magistratus accedente cognitione) quandoque plus Matris, quam Patris arbitrio deferendum esse, ipsa sana ratio dicitur. Non ignoro quidem, quid de consensu Patris etiam improbi, prodigi, crudelis, pauperis, &c. quod & ille nuptiis liberorum

E

necessa-

rius sit, statuunt Doctores, quos inter *Cypraus de Sponsal. dicto cap. 5. §. 5. Carpzov. IprC. lib. 2. def. 43.* Sed (1) non abs re quis indignetur, quod illi Patri impio, crudeli, prodigo, in sensu (uti videtur) divisio, jungunt pauperem, cum tamen Pauper saepe honestior, vel prudentior sit divite. (2) Illi hoc tantum videntur intendere, quod praeterendus planè non sit in hoc negotio ejusmodi Pater, sed quod iudicium ejus stolidum & stultum, materno pio & prudenti, prevalere semper debeat, id fortè non volunt, nisi consilium *Nabalis* praeterendum existiment *Abigaelis*, quod tamen esset absolum. Quemadmodum igitur Filius non nunquam ex justissimâ causâ magis apud Matrem, quam Patrem ex Rescripto *Divi Pii* commorari debet, per *l. 1. §. 3. ff. de lib. exhib.* ita quoque ex simili causa in nuptiis conciliandis, Matris potius, quam Patris voluntas spectanda est. Nec obstat (1) quod Patris filiam exponentis, atque sic etiam impii, consensus sit necessarius per *l. 16. C. de Nuptiis*: quodque (2) Pater prodigus vel iners jus patriæ potestatis non amittit, per tradita *Cyprai ibid. n. 5.* Ad (1) namque rehero, Patri olim in Gentilismo, & extremæ paupertatis Casu, licuisse quidem, liberos recens natos, exponere, vel (quod postea ejus loco institutum est) vendere, uti patet ex *l. 2. C. de Patribus qui liber.* confer *Jacobum Gotofredum ad l. 1. C. Theodos. de his, qui Sanguinol.* Sed istud hodiè penitus sublatum est. Undè alibi incuriam *Triboniani* notavimus, quod leges *Codici Justiniano* inseruerit, hanc expositionem interdicentes, qualis est *l. 2. C. de infant. expos.* & tamen subinde juris antiquati vestigia eidem infarserit, cujusmodi quid *lex 16. C. de Nupt.* omninò redolet, quam *Constantinus* jam olim abrogavit, per *l. 1. C. Theodos. de Expositis*, qua Pater liberos abiciens, vel exponens, perdit patriam potestatem, quemadmodum dominium in servum is, qui ægotantem ejicit *l. 2. ff. qui sine Manum. ad libert.* quæ tamen *lex. in Codice Justiniano* omissa est. Ad (2) repono *Cypraeum* ibi non satis probare assertum suum, quin potius istud destruere citata formula, qua olim Prodigis bonis interdicebatur. Etenim qui uxorem, liberosque sciens volensque, ad egestatem adigit, de illo ferè evidens est, quod parum sani in tanti momenti negotio, quale conjugium est, sit in medium consulturus. Quid quod de prodigo propriè ita dicto, cui Curator constitutus est, constet, quod illi contrahere, bona sua obligare, vel alienare, imò filiae dotem constituere non liceat? per ea, quæ latè & doctè diducit *Jodocus Dambouderius in Patrocinio Pupillorum cap. 9. n. 1. & 2.* At si ejus nulla in rebus minorennium est autoritas, quanta quæso erit

erit in conjugio? Nisi igitur dixeris, honorandum saltem esse ejusmodi Parentem, utut consulere in medium nihil queat, vereor, ne quod Patri inerti hic juris & potestatis asserere gestiunt, sit sine omni effectu & fundamento. De secundo casu, nempe si Patre mortuo dissentiant Mater & Tutor, decisio exstat in *l. 1. C. de Nupt.* ubi *Severus & Antoninus* sic statuunt: *Cum de Nuptiis Puella quaritur, nec inter Tutorem & Matrem & propinquos, de eligendo futuro Marito convenit, arbitrium Præsidis Provinciae necessarium est.* Nequè igitur Matris neque Tutoris Consilium lex simpliciter approbat, sed Magistratum partes suas interponere jubet, ita tamen, ut (modo ulla ratione fieri possit) major ratio Matris, prudentis scilicet, & honestè viventis, quam Tutoris sit habenda. Quam in rem memorabile exemplum exstat apud *Livium lib. 4. p. m. 69. & 70.* de Puella, propter formæ elegantiam celebri, de qua inter *Matrem & Tutorem* ortum erat dissidium, cuiam esset elocanda? Cum enim Mater nobili, Tutor verò plebejo eam dare vellet, lis componi inter privatos parietes non potuit. Ventum igitur ad jus, & audito *Matris, Tutorumque* postulato, Magistratus secundum *Parentis* arbitrium jus nuptiarum dedere: *Carpzovius* tamen in *Tract. de jurib. Femin. Sing. Post. 8. n. 27. in Volum. disp. pag. 491.* Tutoris consilium præfert Matris, quia Mulier plerumque imbecillitate mentis laboret, atque ideo filiabus quandoque nimium indulgeat, cujus rei exemplum legi scribit apud *Livium*, quod tamen (ut diximus) non Tutoris, sed Matris judicium anteponit. Præterea hæc *Carpzovii* sententia, cum eo non videtur consistere, quod *ibid. n. 18. & seq.* negat, sponsalia insciis Tutoribus, contracta, esse clandestina, quodque invehitur in eos, qui consensum eorum necessarium esse statuunt. At si hoc? Quomodo Tutor Matri poterit præferri, cujus consensum alioquin necessarium esse contendit, quæque (uti notum est) etiam in Tutela agnatis, vel legitimis Tutoribus præfertur per *Nov. 118. c. 5.* De (3) Casu ubi Mater vel sola adest, vel cum Tutoribus concurret & concordat in rescindendo Matrimonio? difficilis videtur disputatio. Sed constat, moribus ferè invaluisse, ut Patre mortuo jus potestatis in Matrem transeat. Quod si ita est, vix aliud dici poterit, quam jus, quod Patri competit, etiam Matri competere, præsertim cum omnes istæ rationes tam publice quam privatim utiles & honestæ, quæ pro patre militant, etiam locum habeant in Matre. Et hinc pleraque jura Statutaria, quæ Patris consensum de Necessitate exigunt, maternum ubique ferè addunt, ut inter alia testatur *Ordin. Eccles. Saxon. apud Carpzov. lib. 2. IprG. def. 44. n. 5. & Jus*

Pruten. lib. 2. Tit. 1. art. 1. §. 1. in fine, verbis: *es sey Mutter oder Bas-
ter.* Nec obstat (1) quod nonnulli causantur: Matrem potestatis patriæ
non esse participem per §. XI. *Inst. de Adopt.* Etenim id tantum de jure Ci-
vili antiquo, non verò hodierno, sive consuetudinario, vel Statutario
verum est. Unde argumentum *Dn. Anton. Matthæi Comment. ad §. 2.
Instit. eod.* non procedit, quando inde, quod & Matri potestatem in Li-
berorum nuptias vulgò concedunt, vult colligere: moribus nostris om-
nes potestatis patriæ effectus in desuetudinem abiisse. Quippè Matria
potestas olim saltem erat incognita, vide *Ungepaar Exercit. III. qu. 3. in
Negò*, hodie non item. Unde non sequitur: effectus patriæ potestatis hodie
Matri communicati sunt, ergò non primariò competunt Patri, vel quod
idem est, ergo non amplius sunt patrii. (2) Non obstat, quod ipsis quibus-
dam legibus Romanis, Matris consensus, ad nuptias, uti dictum, exigitur,
quibus tamen legibus constat, liberos sub Matris potestate non fuisse, nec (3)
quod adhuc clarius ipsa filia emancipata per *l. 10. C. de Nupt.* imò hodiè
emancipati omnes per tradita *Carpzovii l. 2. IprC. def. 49.* opus ha-
beant consensu Parentum. Quod si verum foret, tantum abest, ut Con-
sensus Matris potestatem argueret, ut ne hac ratione in Patre quidem effe-
ctus patriæ potestatis amplius dici posset. Sed respondeo ad prius, non
ita olim legibus Romanis Matris consensum necessarium fuisse, quemad-
modum est hodiè. Etenim si leges accipias prout jacent, valde obscu-
rum est, de honestate ne tantum fuerit, an de necessitate? quippe in *leg. 1. C.
de Nupt.* cum Tutore & Cognatis jungitur, quorum tamen consensum
liquet non fuisse de necessitate per *l. 8. C. §. 1. 28. ff. eod.* Idem ad poste-
rius à multis reponi testatur *Dn. Brunnem. Comm. ad l. 20. C. de Nupt.*
qui, utut ipsemet ibidem post alios putet, legem præsumi præceptum po-
tius continere, quam consilium; attamen non advertit, ibi Matri etiam
propinquos jungi, quorum qui consensum necessitatis esse dixerit, is facile
legibus in faciem contradixerit. Itaque ne *Leges* nempe *1. 18. §. 20.
C. Nuptiis*, quæ de emancipata filia vel quæ sui juris est, loquuntur (filius
namque emancipatus indistinctim sine Parentum autoritate uxorem ducit
per *l. 25. ff. de Rit. Nupt. & leg. 3. §. 5. ff. de Bonor. Possess. contra Tab.
adde Cujacium lib. 3. observ. 5.*) ita interpretari cogamur, ut & *Tuto-
rum, Curatorum & Propinquorum* Consensum Jure Civili necessarium
statuamus, potius dicerem, tam filium, quam filiam emancipatos, regu-
lariter olim nubere potuisse absque Parentum consensu (quippe ratio spe-
cialitatis, quam vulgò in filia minorenni, ex majori seductionis periculo
repetunt, vid. *Carpz. lib. 2. IprC. def. 49. n. 5. Dn. Brunnem. ad l. 25
ff. de*

ff. de Rit. Nupt. mihi videtur insufficientis, quia idem, imo majus periculum est in filio minorenni, qui certè in talibus facilius decipitur, quam femina) causam verò vel rationem legis *ii. § 20. ex l. 18.* petendam esse, velut quæ specialissimè de *viduis, virginibus, vel pupillis senatoriis, & nobilibus* disponit, quibus deficiente Patre, non solum Matris, sed & propinquorum, imo Curatorum consensus erat necessarius, ad conservationem honoris, illustrium familiarum, quæ aliàs ex nuptiis feminarum facilè labem contrahebant, ut notat *Jacobus Gotofredus ad l. 1. C. Theod. de Nuptiis, quæ est l. 18. C. Just. eod.* ubi addit, istud legis arcanum hæcenus vulgò non observatum fuisse. Ad objectionem *Carpzovii* de modernis emancipatis, mox in sequentibus de Nuptiis Majorennium & emancipatorum fusius dicemus. Et tantum de *Matre. De Tutoribus vel Curatoribus* itidem quæritur.

Quæst. XIII. An si soli sint, illorum consensus ad Nuptias pupillorum vel curandorum exigatur?

Ex supra dictis ferè patet, *Jura Romana* & de his minus clarè vel perspicuè constituisse. De *Curatore* equidem (utut dubia ejus mentio fiat in *l. 22. C. de Nupt. l. 4. C. § l. 6. ff. de sponsalibus*) disertis tamen verbis statutum est, *ejus auctoritatem non desiderari*, idè, quod rei tantum detur, non personæ per *l. 8. C. de Nupt.* Quod etiam *Paulus* inculcat in *l. 20. ff. de Rit. Nupt.* provocans ad Rescriptum *Severi & Antonini, Tutorum* vero (quorum expressè meminit *lex 1. C. de Nupt. & tacitè l. 2. ff. de Rit. Nupt.*) quia etiam personæ dantur, ratio quidem haberi debebat; sed quia ab impuberibus, qui illorum directioni subsunt, nuptiæ contrahi non possunt, propterea de his disputatio, saltem quoad Nuptias frustranea videtur, vide *Carpz. lib. 2. IprC. def. 46. & Dn. Brunnem. ad leg. 20. ff. de Rit. Nupt.* In sponsalibus itidem de Tutorum auctoritate multum disquirere, operæ pretium non est, quia sponsalia impuberum, completa pubertate, per pœnitentiam rescindi possunt, atque ideo communis sententia est, Tutorum consensum ad Nuptias Pupillorum, pupillarumve Jure Civili non esse necessarium, vid. *Dn. Brunnem. ibid. & Carpz. tam d. l. quàm Tract. de Juribus Feminarum sing. Posit. 8. n. 19.* ubi: *abeant* (inquit) *qui sponsalia absque Tutorum consensu contracta, pro clandestinis & invalidis venditant, cujus asserti cum nec rationem solidam, nec fundamentum proferre queant, satius esset ta-*

cere, quam ex cerebro proprio clandestinitatem fingere, quæ absque legis sanctione nunquam admittenda h. i. Quo in loco, nescio, annon *Cypræum*, pungat cap. 5. de Sponsal. §. 9. statuentem: & Tutorum consensum necessarium esse, in contrahendis Nuptiis, quod variis ibidem rationibus latè quidem, sed confuse nititur probare. Sed quoniam *Cypræus* postea n. 1. *ibidem* se explicat, nempe, quod per auctoritatem Tutorum, non talem intelligat, qualem Parentes exercent, quodque idè Tutori non liceat, vel constituere vel dissolvere Pupillæ sponsalia, idè cum *Cypræo* facilè quis transgerit, Tutorum consensum, jure civili de honestate tantum exigi, per modum consilii, non præcepti, quod ipse *Carpz. ibid. n. 16. §. lib. 2. JurpC. def. 47.* non diffitetur. Cardo igitur Rei in eo vertitur: annon hodie tantà Tutorum sit auctoritas, ut inconsulta sponsalia vel etiam nuptias suorum pupillorum possint, pro re nata, dissolvere? Qui negant, fortè his potissimum argumentis utuntur. (1) Quod sponsalia vel nuptias rescindere, secundum superius dicta, etiam hodiè sit effectus patriæ potestatis, quem Tutoribus velle tribuere, foret Paradoxon. (2) Quod expressè jure Civili ista potestas ipsis sit denegata, neque sine ratione. Quippe cum proximi agnati plerumque sint legitimi Tutores, inde contingit, ut si puella fuerit locuples, Tutor impedimento sit honestis nuptiis, vel quia mortem ejus captat, & bonis inhiat, vel quia ipsi filium, aliamve clientem obtrudere gestit. Id quod haud obscure innuunt *Honorius & Theodosius in l. 4. C. de sponsalibus* in fine his verbis: *periniquum est, ut redempti Tutoris vel Curatoris admittatur arbitrium.* Quorsum etiam pertinent verba *l. 18. C. de Nuptiis* ubi *Valent. Valens & Grat. sed & fortè* (inquiunt) *hi, qui gradu proximo ad successionem vocantur, honestas nuptias impediunt &c.* Atque hoc intuitu quidam in ea sunt opinione; Statuta non valere, quæ Tutorum consensum necessitatis esse dicant, vide *Part. 1. Consult. Constit. Saxon. de contractibus, in specie de Matrimonialibus Quest. 4.* ibi: *Nus den See = Städten ist etliche mahl die Frage einkommen: Wir haben aber solche Statuta, welche der Vormünder Consens, nothwendig erfordern/sir nichtig erkant/ quia Matrimonium non debet esse captatorium, neque pendere ex alterius voluntate &c.* Sed qui contra affirmant, & hi rationibus non destituuntur, quarum (1) & potissima, quod concipi ratio solida non potest, cur minores, parentibus orbi, adè debeant esse infelices, ut interventu eorum, qui ipsis Parentum loco sunt, ex miseræ & ruinæ totalis, in quam ætatis & judicii fragilitate se præcipitarunt, abyssò, eripi nequeant, cum
tamen

tamen velut personæ miserabiles, majori favore dignæ sint, quam qui Pa-
rentes adhuc habent, Tutoresque vel Curatores ipsis eam in finem dati
sint, ut defendant eos, qui per ætatem semet ipsos defendere nequeunt, per
l. 1. ff. de Tutelis (2) Major absurditas excogitari non potest, quam asse-
rere: minorenni non licere, rem ex patrimonio qualemcunque modi-
eam, vel minimam in sui detrimentum & damnum sine Tutoris vel Cura-
toris autoritate alienare, semet verò ipsum in stolidissimi conjugii servitu-
tem ita vendere vel mancipare posse, ut Tutoribus vel Curatoribus contra
istud nihil juris sit reliquum. Hoc ingens absurdum est, quò *Carpz. lib.*
2. JprC. def. 47. n. 6. probare vult, decens & honestum esse, ut Tutorum
consensus adhibeatur. Sed ego, puto inde magis sequi, quod eorum con-
sensus sit necessarius, maxime cum ratio specialitatis nulla appareat, cur
leges in solis nuptiis, at quanti momenti negotio? contra dolosas cir-
cumventiones hanc ætatem noluerint servari indemnem. Contra quod
parum operatur ratio allata, de Patria potestate, Tutoribus non compe-
tente: quippe in Patria Potestate, velut Dominica, duo consideranda
sunt, (1) commodum Parentum (2) utilitas liberorū *vid. Gudelinus de Jure*
Nov. l. 1. cap. 17. in pr. ubi tradit: olim tam Patriam quam Domini-
cam Potestatem maximam partem gratia Parentum, & Minorum
fuisse inuentam. Quoad prius concedo patriam potestatem Parenti
tantum competiisse, quæ tamen & ipsa non parum imminui cœpit, post-
quam deserto Jure proditum est, eam *in pietate*, id est utilitate liberorum,
non vero in *atrocitate* vel libidine Parentum consistere debere per *l. 5. ff.*
ad leg. Pomp. de Parricidis. Quoad posterius vero, etiam iis commo-
dè communicari hodiè potuit, qui loco Parentum sunt, id est *Tutoribus*
vel Curatoribus, licet non in totum, tamen in tantum. Unde habent
omnino Tutores aliquam potestatem, quia Tutela definitur per potesta-
tem, & est species quædam patriæ, licet analoga, quia Tutor non Pater
est, sed in Patris saltem locum datur, ut *Theophilus* loquitur in *pr. ad Tit.*
de satisfactione Tutorum. Atque ideo *Cypræus c. 6. §. 9. n. 1.* eam qua-
si potestatem appellat, per quam Pupilli nihilominus sui Juris manent,
quemadmodum Cives, qui imperio subsunt Magistratus, ut ait *Gudelinus*
d. l. 1. c. 17. Ex quo patet, Tutores quoad Potestatem in eo Parentibus non
esse dissimiles, quod tantum Pupillis, quantum Parentes prodesse non de-
beant, (quippe in quo vix unquam in excessu peccant) sed quod nocere
ipsis ita non possint, quemadmodum olim Parentes potuere, & fortassis in
aliquibus etiamnum possunt. Itaque cum rescissio stolidi conjugii ad
com-

commoda pupillorum pertineat, quis dubitabit, Tutoribus competere facultatem eripiendi pupillos ex faucibus lenonum & lenarum. Ad (2) respondeo ideo olim Curatorum consensum non fuisse necessarium, quia ut expressè in *l. 8. C. de Nupt. § l. 20. ff. de R. N.* dicitur, *Curatores rebus debantur, non personis.* At hodiè illa ratio cessat, postquam nomina & officia *Tutorum & Curatorum* fere confusa sunt, ita ut Tutores etiàm post pubertatem non mutant nomen, sed maneat in eadem qualitate & potestate curandi, tam personas, quam earum patrimonium (3) si id quod de corruptione dicitur, universaliter verum esset, ipsius etiàm Parentis consensus non foret necessarius, quia & hic consilia corrupta agitare potest, de filiâ agnato (à quo tamen illa abhorret) elocanda. Talibus (si ex accidenti eveniant) alio Juris remedio occurri potest, ut necesse non sit, minorennibus, hac in re aliquid indulgere. Quamobrem tantum abest, ut Statuta Tutorum consensum, de necessitate exigentia (inter quæ *Jus Pruten. l. 2. T. 1. art. 1. §. 1. & Ordinac. Consist. March. Tit. 59.* nec non *leges Hamburgensium* supra citatæ, clarent) absurda putem, ut potius è converso rationi & æquitati minus conveniens existimem, si minoribus facultas concedatur, suo arbitrio nubendi: quippe modò hoc unicum ipsis licitum feceris totum Curatorum officium de cœtero facilè frustraneum erit & inutile. Diximus itaque *Tutoribus* vel *Curatoribus*, non minus quam *Parentibus* competere remedium nullitatis, contra inconsulta & stolidi pupillorum vel curandorum conjugia, etiàm si fuerint concubitu consummata, vel à sacerdote illegaliter benedicta.

Quæst. XIV. Sed quid sentis de remedio restitutionis in integrum, quod alioquin minoribus, sicubi lapsi & decepti fuerint, competere notum est?

ꝛ. Huic in Matrimonialibus locum non esse, communis opinio statuit, de qua testatur *Sfortia Oddus Traët. de Rest. in Integrum Part. 2. qu. 60. art. 1.* quem sequuntur *Hilliger ad Donellum lib. 21. cap. 21. lit. f. & Dn. Struv. Exercit. 1. Th. 57.* quorum posteriores id ideo asserunt, quia conjugium natura suâ sit indissolubile. Sed hæc ratio non videtur esse concludens, quia constat matrimonium variis ex causis inter *Protestantes* dissolvi, de quibus alibi. *Sfortia Oddus d. l. sequentibus* utitur argumentis (1) *error (inquit) circa fortunam & qualitatem Personæ*
non

non dirimit matrimonium. At quod error operatur in restitutione Majorum, id etas in minorum, per l. 1. & seq. ff. de Restit. in integrum.
(2) *Prudens non restituitur in integrum.* At minor contrahendo matrimonium, facit id, quod quilibet prudens faceret, ergo (3) majus commodum absorbet minus. At opus matrimonii & Sacramenti est majus, quam incommodum qualitatis (4) Restitutionem nemo concedere potest, nisi iudex. *Sed quod Deus conjunxit, homo non separet.* (5) Spiritualia inhærent ossibus, ergo per dispositionem civilem, qualis est restitutio in integrum, aboleri non possunt, h. i. Verum quod rationes 3. 4. & 5. attinet, illæ inter Protestantibus non multum valent, sed omnes petunt id, quod est in principio quaesitum, adeoque supra satis refutatae sunt. Ad (1) verò respondeo, quod mira sit consequentia: Error circa fortunam & qualitates non dirimit matrimonium: ergo restitutio in integrum locum non habet in Matrimonio. Præterquam enim, quod simpliciter verum non est, errorem circa qualitatem non dirimere matrimonium, etiam quaestio hic non est: an error matrimonium dirimat, sed an minor contra stolidum conjugium restitutionis beneficio fruatur? Quod si vero dixeris potissimam argumenti vim, in sequentibus verbis latitare, nempe quod minor ita erret, sicut major, tunc argumentum in forma fortè erit tale: Quicquid error circa fortunam & qualitates operatur in Majoribus, id etas operatur in Minoribus, similiter errantibus. Sed error circa fortunam & qualitates in majoribus non operatur restitutionem in integrum, ergo nec etas in Minoribus. At in hoc syllogismo minor in prima figura est negativa, unde primum vitium hanc ratione esset in formâ. Nec obverti potest, ex necessitate saltem materiae hanc conclusionem sequi: quippe propositiones in Majori non sunt convertibiles, vel æqualitè patentes, seu reciproca, quia dicere non possum: quicquid etas in minoribus operatur, istud & error in majorennibus, majores namque suâ culpâ, vel inuriâ errant, atque ideo indigni sunt beneficiò restitutionis in integrum: Minores vero naturali iudicii infirmitate labuntur, ideoque majorem merentur favorem. Quapropter si quis Majorem propositionem convertere, & in secunda figura argumentum velit, hõc modò: Omne quod etas operatur in Minorennibus, id error circa fortunam & qualitates operatur in Majorennibus: atqui restitutionem in integrum, error circa fortunam & qualitates non operatur in majorennibus, ergo nec restitutionem in integrum in minorennibus. Tunc major est falsa, ex ratione adducta, itidemque petit id, quod est in principio quaesitum. In (2) ratione nego minorem. Falsum namque est minorennem uxorem ducendo fa-

F

cere

cere id, quod quilibet prudens faceret. Etenim aliud est uxorem ducere, quod etiam prudentes faciunt, & aliud prostibulum, infamem, mendicam, inæqualem ducere, quod faciunt stulti, & ut plurimum minorenes opulenti, decepti & seducti. Vix itaque rationes *Oddiane* obstabunt, quo minus asseri queat, minorenes deceptos & circumventos æquè in matrimonio restitutionis beneficio gaudere, quàm in aliis contractibus, cum ratio læsionis æqualis, imò major adsit in matrimonio, quam alibi. Et hætenus de liberis *Minorennibus*, sequitur nunc alia disputatio.

Quæst. XV. An Majorenes, vel qui emancipati sunt, suo arbitrio nubere possint, vel non possint.

Æ. Hætenus ostensum honestum non solum, sed & necessarium esse, ut liberi minorenes ex Parentum, vel qui locò eorum sunt, consensu & consilio nubant. Sed quid Juris in majorennibus & emancipatis? Emancipati quidem, posito consensum Parentum patriæ potestatis effectum esse, procul dubio omnes sine Parentum consensu rectè nubent, quia per emancipationem Patria potestas tollitur. Quod Jure Civili in filio dubium non habet per *l. 25. ff. de Rit. Nup. § 1. 3. § 5. ff. de bon. Possess. contra Tabulas*. Sed cum liberi olim non semper ea ætate fuerint emancipati, quæ satis intelligunt, quid sit matrimonium contrahere? Inde difficilis dubitatio est de emancipatis minorennibus, an his licuerit pro arbitrio nubere? De filia plerumque negant per *l. 18. § 20. C. de Nupt*. Quidam istis legibus consilium tantum exstare volunt, non præceptum *Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 6. th. 5. lit. b.* Qui tamen ipsemet ibidem: *Si (inquit) tantum consilii id esse voluissent Imperatores, non de Filia minorenni respondissent*. Nos supra jam diximus, non videri leges rectè generaliter accipi de filia quacunque, vel quia leges ferè omnes, quibus consensus Parentum requiritur, de liberis in potestate, imò de ipsâ filia nominatim loquuntur; vel quia aliàs consensus etiam propinquorum per easdem leges foret necessarius. Forte igitur leges illæ de *Senatoriis & illustribus* (ut *Jacobus Gotsfredus* putat) specialiter disponunt. Quippe si pro ratione differentie inter filium & filiam cum *Dno. Brunnem. ad l. 20. C. d. Nupt.* imbecillitatem sexus velis obtendere, etiam majorenes foeminae emancipatae absque consensu Parentum nunquam possent nubere, quia mulieres propter fragilitatem sexûs, in perpetua sunt cura. Interea, si supponas, hodie illos tantum pro Emancipatis haberi, qui separatam alunt familiam, bonaque sua per o-

mania

omnia soli administrant, quod regulariter tantum Majorennibus conceditur, tunc quæstio de emancipatis Minorennibus, vel rarior erit, vel plane inutilis. Quia verò frequentius accidit, ut liberi majorenes utriusque sexus adhuc in sacris vel ædibus Parentum commorentur ipsorumque quadrà vivant, inde potissima disceptatio est de *Majorennibus*, an hi sive extra, sive intra potestatem degentes, id est, sive emancipati sint, sive non, præcisè teneantur consensu parentum nubere? Et hic rursus varii casus distinguendi sunt. Si filius vel filia jam diu extra domum paternam in matrimonio vixerint, liberos procrearint, familiam aluerint, tunc ad secunda vota transituri, procul dubio honestè faciunt, quando Parentes in consilium adhibent, alioquin benedictione eorum, quâ secundæ etiam & tertiæ nuptiæ indigent, carituri. Necessitatis verò consensum Parentum hic esse, non facilè dixerim, vel quia is, qui semel planè è potestate exiit, eâ amplius non ligatur, vel quia ratio non patitur, ut is qui omnia alia, etiam gravissima negotia, suo solius arbitratu expedit, in solò conjugio à Parentum nutu & voluntate pendeat, quod major, Parentes non habens, inconsultis omnibus rectè, valideq; contrahit. Putat equidem *Carpzovius lib. 2. Jurisp. def. 49. n. 6. & seq.* quasi in terris *Statuum Evangelicorum*, imprimis verò *Electoratu Saxonico*, liberi indifferenter teneantur nuptiis consensum parentum adhibere, sine discrimine ætatis, & factæ emancipationis. Sed rectius *Dn. Brunnem. ad L. 25. ff. de Rit. Nupt. Quoad Consistoria* (ait) *Saxonica litem meam non facio. Quoad cætera verò Evangelica dubito de hac opinione. Nam potissima ratio consensus Paterni consistit, in jure Patriæ potestatis. Sola reverentia jure divino debita Parentibus, vix inferet præcisam necessitatem, nisi etiam Matris, Avi & Avia consensum necessarium dixeris. Itaq; si filia jam antea cum consensu Patris nupta, Marito mortuo, cum alio sponsalia celebraret, peccare dixerim eam, sed sponsalia non esse irrita, postquam semel potestate Patris exiit, h. i. Unde ridiculum foret, si filius quadragenarius, in officio graviore publico constitutus, à sponsalibus resilire vellet, sub prætextu, quod *Mater vetula* non consenserit. Alius Casus est, si filius vel filia majorenes, adhuc in familia & potestate Parentum versentur, eorumq; sumptibus vivant. Hic ætas majorennis hoc operatur, ut Parentes dissentientes, licet regulariter dissensus sui causas reddere necesse non habeant, vid. *Heigium part. 1. Quæst. 22. Carpzov, part. 4. Const. 21. def. 14. & Dn. Strykium in Not. ad Brunnem. Jus Eccl. l. c. 16. §. 5.* Rationes tamen Magistratui exponere tenentur, quæ, si ir-revelantes fuerint, rejiciuntur, liberisque Majorennibus publica autoritate*

nuptiæ permittuntur. Quod rationi & pietati est conveniens, quia Paren-
tes non semper æquali dexteritate liberis de honesto conjugio prospicere
satagunt. At quemadmodum rationis est, ut liberi consensu Parentum nu-
bant, ita etiam non minus ratio æquitasq; exigunt, ut Parentes liberorum
suorum curam agant. Quodsi vel facere neglexerint, vel etiam impede-
rint (impedire autem & ille videtur, qui conditionem non quærit *l. 19. in
fine ff. de Rit. Nupt.*) hinc jure suo excidunt, & Magistratum Parentum vi-
ces supplere oportet. Audiendi tamen Parentes semper sunt, quia sæpius
filia citra culpam Patris, usque ad majorenitatem innupta manet, cum in
potestate Parentum non sit, liberos pro lubitu elocare, iisq; de honesta con-
ditione prospicere. Quodsi verò habuerint rationes, nec tutò satis eas pro-
ponere audeant, forte quia injuriarum actionem metuunt, tunc eas secre-
to *Judici* vel *Consistorio* in aurem susurrare possunt, cui easdem propalare
nefas erit, quam cautelam *Dn. Brunnem.* inculcat *lib. 2. Jur. Eccl. c. 16.
§. 5.* Pro sunt tamen rationes etiam urgentissimæ, magis ad impedienda
sponsalia, quàm rescindendas Nuptias consummatas, quæ non facile dis-
solvuntur, si contrahentes perfectæ fuerint ætatis. Et hæc quæ de nuptiis
majorenium diximus, Statutis & Legibus variarum gentium consonant.
De Batavorum moribus sic scribit *Vinnius Comm. ad pr. Instit. de nupt.
n. 7.* *Apud nos, (inquit) quamvis singularis illa Romanorum Potestas
in liberos hodiè non agnoscat: tamen quia voluntati ac mandato
Dei, adeoq; æquitati naturali conveniens est, ut de consensu Parentum
filius uxorem ducat, & filia nubat, atque ut quod ad omnes ex æquo
pertinet, imposturis & clandestinis nuptiis occurratur, lege cautum
est, ut qui matrimonium contrahere volunt, adeant Civitatis suæ, aut
loci, in quo domicilium habent, Magistratum, aut Ecclesie Ministros,
atq; ab eis petant, ut hic contractus trinundino in Ecclesia aut pro Cu-
ria promulgetur. Filii familias minorenes 25. annis, filie minore-
nes 20. vetantur recipi, nisi de consensu Parentum aut Parentibus su-
perstitis doceant. Quodsi verò hæc ætate majores fuerint, Parentes
vocati, si non venerint, & rationem afferant, causa cognita statuitur,
quod justum est, per art. 3. Ordin. Pol. Aliter contracta matrimonia
pro injustis & nullis habentur, adde *Johannem Christenium de Caus.
Matrimon. Differt. 1. qu. 6.* ubi hoc argumentum latè persequitur. Apud
Gallos si Mas intra *trigesimum*, & foemina *vigesimum* quintum annum,
absque præscitu Parentum nuptias contrahant, exheredationis pœnâ co-
ercentur, ex *Const. Heinrici II. ut apparet ex Cod. Ludov. XIV. l. 1. Tit.**

3. e. 2. *Jure Provinc. Pruten. Reviso l. 2. Tit. 1. Art. 1. §. 4.* Nuptiæ absq;
Consensu Parentum initæ, & consummatæ, non quidem sunt nullæ, sed cum
limitatione, wann die Manns-Person zu ihren vollständigen Jah-
ren kommen. Ex quo patet contradictione Parentum nuptias non dissolvi,
si contrahentes fuerint *Majorenes*, cui, si placet, addas *Statutum Ham-
burgense Part. 2. Tit. XI. Art. 1. §. 3.* verbis: Da nun der Sohn und
Tochter unter 25. Jahren ohne der Aeltern Bevollbortung / eigenes
Willens / sich an eine unberüchtigte Person befreien würde / auff
den Fall / soll dem Vater frey stehen / den Braudt- Schatz ihnen zu
weigern &c. Ergo si supra 25. fuerint, Parentes iis non possunt dotem
negare, quia præsumuntur liberos neglexisse. Confer *Iohann. à Sande,*
lib. 2. Decis. Trices. Tit. 1. def. 5. §. 3.

*Ad Nobilissimum DN. LAUGINGER, Auditorem
suum industrium, & Amicum dilectum.*

Cum fervore suis studiis incumbere visus,
Qui gerit à lento Nomina dicta gradu.
Hinc *Laugingeri* Nomen mera fervida signat:
Gratulor & merito fervida vota fero.

PRÆSES.

Dum rursus cathedram LAUGINGER scandere gestit;
Est mihi læta loqui talia visa Themis:
Nate, mihi tritum visus modò volvere mente:
Non nisi certanti læta corona datur.
Dum tu materiam rursus defendere tentas
Talem; quam pauci ritè docere sciunt.
Est tibi sed PRÆSES; quò vix præstantior ullus:
Qui famâ vivet; dum vehet astra polus.
Tu pietatis amans quoque; tu virtute refulges,
Ingenii, fortis, corporis atque bonis.
Pieridum gnavus tractas & Palladis artes;
Et mea pervolvis jura frequente manu.

Hoc

Hoc præsens specimen cunctis monstrare valebit:

Quare polliceor præmia magna tibi:

Et prædico tibi, poteris meus esse Sacerdos.

Nunc precor; *ut præsens perbenè cedat opus.*

Sic ait & Musas ad laudes excitat omnes:

Nec mora, Castalides carmina pulchra canunt.

His applaudo vovens; *Numen te, suavis Amice,*

Adjuvet, ut possis tangere ritè scopum.

*Ita Nobilissimo atque clarè docto Dn. Respondenti,
Amico suo charissimo, ex animò gratulatur*

CHRISTIANUS Schwarz /

Regiom. Prussus, Phil. & LL. Stud.

Difficilem solers illudit Colchida Jason

Nec timuit vastas æquoris ire vias.

Impiger ut pretium superati grande laboris

Tolleret, auratæ nobile vellus ovis.

Haud dispar nunc cura TIBI est, qui sacra Camoenis

Fatidicæ properas tecta subire Deæ.

Ardores stimulosque tuos & percita docto

Hoc artis specimen corda furore probat.

Principiis sic orsus iter peragesque secundis

Ausibus, ingenii signaque læta dabis.

Nec dubium: aoniis monstrabit Phœbus ab oris

Vellus, & insigni cinget honore caput.

In honorem

*Nobiliss. Dn. Respondentis Amici
honorandi Vitemberge*

P.

Daniel Hartsch / Ged.

SS (o) SS





ULB Halle
006 301 584


3



VDA7







P. 386

I. N. D. N. J. C. E. 21. num. 29. A
DISSERTATIO JURIDICA

De 1699, 2
21
CONSENSU

PARENTUM AD NU-
PTIAS LIBERORUM

Quam
CONSENSU CELEBERRIMÆ
FACULTATIS JURIDICÆ

SUB PRÆSIDIO

THEODORI PAULI, U.J.D.

& Professoris Primarii, Ser. Elect.

Brandenb. Consiliarii, & Judiciii Aul. Crim.

Præsidis, Acad. h. t. Rectoris Magnifici,

Placide Eruditorum Ventilationi
exponit

JOHANN. GEORGIUS Lauginger/

Gedanensis,

IN AUDITORIO MAJORI

Anno M DC XCIX. die 15. Septemb.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SEREN. ELECT. BRAND.

ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

